



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

Meditationes In Psalmvm CXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

ſce clementiſſime, quod enarrauerim im-  
mundis labijs myſteria Epithalamij tui, &  
aſſumpſerim delicias tuas per os meum.  
Feci vt laudarem te, & excitarem me, vt  
ſic excitatus perfectius laudarem te. Vo-  
luntaria oris mei approba Domine; & vel  
nunc igne de cœleſti altari tuo aſſumpto  
munda labia mea, vt tibi in hac vita con-  
fitear totis medullis cordis mei, & in ęter-  
nandem te regente, te ducente, te re-  
uelante cum Angelis, & Sanctis tuis  
hymnum concinam nomini tuo, cui  
ſit gloria, & honor in ſecula ſeculorum.  
Amen.

MEDITATIONES  
IN PSALMVM  
CXVIII.

HVIVS PSALMI  
PRAESTANTIA.

**I**NOTVS propè moralis eſt  
Pſalmus. Itaque S. Ambr. mo-  
rales ſententias Dauidem ait  
pleriq; locis, veluti ſtellarum  
diffuſiſſe lumina; in hoc verò velut pleni  
luminis ſolem meridiano feruentē calore  
conſtituiſſe. Ita quanquam longiſſimus,  
H 6 ta-



Psalterij partes quinq; & singula Dei laude terminatur. tamen suauissimus est. Mihi v erò videri solet totum Psalterium quodam compendio, & summa complecti. Quod, vt breuiter indicetur, considerandum principio est, quod S. Gregorius Nyssenus notat, vniuersum Psalmorum librum in quinque partes describi, quarum singulae Dei laudibus terminantur. Nam prima Psalmo quadragesimo clauditur: cuius finis est, Benedictus Deus Israel à seculo, & vsque in seculum, fiat, fiat. Secunda Psalmo septuagesimo primo: cuius finis, Benedictus, qui facit mirabilia, & benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat. Tertia Psalmo octogesimo octauo, qui finem habet, Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. Quarta Psalmo centesimo quinto: cuius clausula, Benedictus Dominus in æternum, & dicit omnis populus fiat, fiat. Quinta vltimo Psalmo, & sententia, Omnis spiritus laudet Dominum. Singulae igitur partes desinunt in laudes Dei, & quidem quatuor cum geminata illa appreciatione, fiat, fiat.

Quidque que pars præcipue agat.

Deinde idem B. Pater Gregorius Nyssenus quid in Psalmis singularum partium tractetur, quasi compendio exponit. Nam, vt ille docet, in prima parte abducitur homo ab improba vita, vt legem Dei apprehendat, & secundum eam viuat: ideo primus Psalmus incipit, Beatus vir, qui non abiit



abijt in consilio impiorum. In secunda iam perpurcato animo, plus sititur Dei communicatio, & fons vitæ, isque hominem ad se rapit, ideo inchoatur à Psalmo, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. In tertia, qui in se iam recepit Deum, perspicendi facultate maiore donatur, magisque illuminatur vt videat prouidentiam iustam, etiamsi qui rectè viuunt tribulentur, & cōtra prosperentur iniqui. Quod intelligitur ex primo eiusdē partis psalmo. Quam bonus Israel Deus. In quarta, qui eo vsque ascendit, iam in tantā sublimitatem eleuatur, vt se ipso fiat maior: vnde titulus primi psalmi eius partis est, Oratio Moyse hominis Dei, tantā quam is, qui ad hunc gradum peruenit, ipse sit legislator, & docere possit, non egeat ipse doctore. Quinta denique velut ad supremum verticem, & excellentissimū contemplationis gradum ducit eū, qui ad tantam altitudinem eniti potest, transuolando firma quasi ala omnes araneorum huius vitæ contextus: & in perpetua gratiarum actione, & firmissima stabilitate cōstituit, vt indicat psalmi, quib⁹ inchoatur ea pars, & finitur. Hoc modo sanctissimus, atque doctissimus hic Pater, quasi breui quadam tabella scopum psalmodū, & argumenatum delineat.

Quibus positis iam breuissimè ostendamus, quomodo partes huiusmodi omnes

Totum  
psalteriū



velut cō  
pēdio  
contine-  
tur in Psa.  
118.  
Primum  
purgatur  
anima.

Secundò  
accendi-  
tur siti di-  
uinorū.

Tertiò il-  
lumina-  
tur.

in hoc Psalmo nostrò tanquā breui recapitulatione, & summa condantur. Prima pars ferè toto psalmo agitur: sed in primo & secūdo octonario manifestè. Quid enim aliud agit, nisi vt ab improba vita abducat? vt legem Dei homo apprehendat, & secundum eam viuat, dum beatos pronuntiat, qui ambulant in lege Domini, & eorum testimonia scrutantur, totoque corde Deū exquirunt? Dum viam corrigere docet, Dei mandata custodiendo? & huiusmodi plurima: quæ non difficilè diligens inuestigator aduertat.

Nec obscura pars est secunda de animo perpurgato, & diuina siti. Hoc enim sonant verba illa. In toto corde meo exquisiui te. Et illa, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Quomodo sitit, quomodo aestuat, quomodo clamat, Defecit in salutare tuū anima mea? &, Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Et, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quomodo gloriatur se hereditate acquisiuisse testimonia Dei, quæ exultatio cordis sui sunt? Nimirum vt cum apparuerit ille, qui abstergat lachrymas eius, pro pane lachrymarum ipse succedat.

Tertia verò pars clarissimè apparet, dū se ex diuinis luminis participatione adeo collustratum indicat, vt & super senes, & super omnes docetes se intellexerit. *Oste-  
dit*



dit autem prouidentiam, cum dicit. Lōgè  
 à peccatoribus salus. Et, Spreuisti omnes  
 discedentes à iudicijs tuis. Et, Præuarican-  
 tes reputaui omnes peccatores terræ: quod  
 in hebræo est, scoriam reputasti omnes  
 peccatores terræ. Et, Fiat misericordia  
 tua, vt consoletur me. Item, Veniant mihi  
 miserationes tuæ, & viuam. In quibus fa-  
 tis indicat, inæquali iustorum, & iniquo-  
 rum afflictione, quæ ex occultis, iustis ta-  
 men semper iudicijs Dei prouenit, & quas  
 Deus hominum tribulationes promiscuè  
 & manifestè dispertiat & quid suis occul-  
 tē reseruet.

Quartò, quod autem, eo vsque ascendēs  
 seipso factus sit maior, docet non obscure  
 in eo quod mirabilia asserit Dei testimo-  
 nia, atque propterea ea se scrutatum esse:  
 & declarationem sermonū Dei illumina-  
 re, & intellectum dare paruulis; de quo-  
 rum se numero esse profitetur. Eodem  
 pertinent. Initio cognoui de testimonijs  
 tuis, quia in æternum fundasti ea. & Prin-  
 cipium verborum tuorum veritas. Hæc  
 enim omnia nec experiri possūt, nec cōij-  
 cere, nisi mundo corde: & qui se supra se  
 diuino lumine, & ardore eleuant.

Quintò denique ostendit se ad supremū  
 verticem preuenisse, & firma quasi ala  
 transuolasse, ac pertrāsisse omnes araneo-  
 rum huius vitæ contextus, dū ait. Narra-  
 uerunt mihi iniqui fabulationes (sic enim  
 per

Quartò  
 fit maior  
 se ipso.

Quintò  
 transuo-  
 lat huma-  
 na om-  
 nia,



per contemptum appellat mundi delectationes, & omnia à lege Dei aliena) sed non vt lex tua, significans præ lege Dei, omnia illa trāsiliisse, vt inania figmēta, & ludibria. Ideo & ait. Omnis consummationis vidi finē. Et, Portio mea Domine. Quippe cætera omnia velut quisquilias, & stercorea arbitrabatur. Et addit, Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Hanc enim solam concupiscens cætera detrimentum putat: in ipsa respirat, & con-

*Phil. c. 3.* quiescit. Ibi verò quid non suaue, plenu- que dulcedinis? Ex his vtcumque apparet non immeritò dixisse me quasi compendio in hoc Psalmo concludi quicquid S. Gregor. Nyssenus in tota psalmorum distributione vult contineri.

*Quomo- do singul- latim om- nes psal- mi ad 118 referan- tur.* Sed iam placet à generali horū quinque capitum consideratione ad singularia magis descendere, vt appareat omnia ferè, quæ varijs psalmis continentur, quasi ad hunc reduci, & in eo quodammodo recapitulari vt sit hic veluti fructus psalmorum ceterorum. Quod in plerisque, vt spero, non difficile ostendam, dans interim occasionem sapiētibus idem, si voluerint, in reliquis meditandi. Psalmus primus manifestè felicitatem narrat, & prosperum cursum eorum, qui in lege Dei meditatur. De qua lege non solū in hoc nostro psalmo agitur, sed in singulis ferè versiculis mentio diuersis nominibus fit: quod attē-

*Ostendi- tur de pri- mo.*

tius co  
Psal  
quæ in  
fecit  
rubro  
105. 1  
tander  
gnific  
cum gr  
illi, ne  
mus.  
Que  
cis, &  
mo 3. 9  
30. 34  
142. Q  
perend  
quod m  
cessariu  
rum De  
pollice  
ueritis,  
mictis  
mini in  
vobis.  
Si Psa  
agunt, v  
poterit  
obserua  
baptiza  
quid pr  
Si De



tius considerandum est.

Psalmi multi agunt de mirabilibus Dei, quæ in manu potenti, & brachio excelso fecit, in exitu Israel de Aegypto, in mari rubro, in deserto, vt Psalmo 43. 77. 105. 106. 107. & 113. Sed hæc omnia eodem tandem referenda sunt, vt potentiam magnificentiã, & beneficia eius recensentes, cum gratitudine, & obedientia seruiamus illi, nec vnquam ab eius voluntate recedamus.

Et de ijs, qui continent mirabilia Dei. Psal. 135.

Quod si agitur de liberatione ab inimicis, & victoria ex ijs reportanda, vt Psalmo 3. 9. 10. 11. 12. 15. 16. 17. 24. 25. 26. 27. 30. 34. 53. 54. 55. 56. 58. 139. 140. 141. 142. Quæ maior ratio allegari potest ad petendam, impetrandamque liberationem, quod magis præsidium omni tempore necessarium est, quam obseruatio mandatorum Dei? Sic enim Dominus populo suo pollicetur. Si in præceptis meis ambulaueritis, dabo pacem in finibus vestris: dormietis & non erit, qui exterreat: persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. *Leu. c. 26.*

Et qui victoriã ex inimicis.

Si Psalmos spectemus qui de poenitentia agunt, vt 6. 31. 37. 50. 101. 129. 142. sanè non de poenitentia poterit fructuosa esse poenitentia sine obseruatione mandatorum Dei. Qui enim baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, *Eccl. c. 34.* quid proficit lauatio illius?

Et qui sunt.

Si Dei admirabilis cantetur, ac prædicetur

Et qui de



**Creatio-** cetur efficientia, & sapientia in creatio-  
**ne, & gu-** ne, dispositione, & gubernatione mundi,  
**bernatio-** vt psalmo 102. & 103. an non magnitudo  
**ne mudi.** eius, beneficentia, maiestas, & dominium

exactam exigit mandatorum obseruationem? dicente Domino. Si diligitis me,

**Io. c. 14.** mandata mea seruate. & itē. Audi Israel,

**Deut. c. 6.** Dominus Deus noster Deus vnus est: &

**Exod. 10.** Facies hoc, non facies illud: ego Domi-

**31. c.** nus. Ac si dicat. Cum ego verē, & solus

naturalis sim Dominus, praecepta mea

omni vigilantia, & perfectione custodire

debetis.

**Qui de** Si agatur de protectione Dei super suos,

**protectio** vt psalmo 19. 20. 22. 30. non possunt hanc

**ne istorū.** sibi polliceri, qui à Domino recedunt: qui

**Iob. c. 21.** dicunt illi. Recede à nobis: scientiam via-

**Psal. 72.** rum tuarum nolumus. De quibus discretè

dicatur. Quia ecce, qui elongant se à te, pe-

ribunt. Perdidisti omnes, qui fornicantur

abs te. Fornicatur autem anima cū auer-

titur à Deo, & quærit extra illum ea, quæ

pura & liquida non inuenit, nisi cum redi-

ad illum.

**Qui de** Si subiectionē animæ nostræ offerimus

**subdenda** voluntati Dei, vt psalmo 61. & 62. certum

**anima** est neque vt seruum Domino, neque vt fr-

**Deo.** lium patri, neque vt templum Deo suo

coherere, qui per prærupta graditur à ma-

dati aberrans.

**Et de Dei** Si beneficia, & abundantiam donorum

**beneficijs** consideramus, vt psalmo 64. 65. 67. quia

tam



IN PSAL. CXVIII. 187

tam ingrati, & lapidei cordis sit, vt se non illi totum deuoueat? qui ab ipsius voluntate audeat vel ad modicum recedere?

Si laudes Dei canimus, vt psalmo 18. *Et eius laudibus. 28. 32. 144. 145. 146. sine obseruatione legis audiemus, Non est speciosa laus in ore peccatoris. & item. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum?* *Eccl. c. 15. Psal. 49.*

Si canticum graduum cantamus, vt à psalmo 119. & deinceps, siue incolatum querimus, siue custodiam poscimus, siue torrentem nos pertrāsisse letamur, siue diuinam protectionem cū admiratione extollimus, quomodo ascensiones vel disponemus in corde, vel ponemus in gressibus, nisi per custodiam mandatorum? *Et in Canticis graduum. Psal. 83.*

Si Christi Dei nostri ortum antè Luciferum de vtero Patris æterna generatione eructamus: si eius æternum Sacerdotium iureiurando sancitum prædicamus ( alij enim sine iureiurando facti sunt Sacerdotes) vt psalmo 109. Nonne monet Apostolus, vt talem habentes Sacerdotem super Domum Dei, accedamus ad eum cum vero corde, aspersi corda à consciētia mala, & abluti corpus aqua munda? quod fieri nullo modo potest, nisi diuinæ legi toti adhareamus. *Et qui sūt de Christi myste- rijs: vt natiuitate æterna. Hebr. 7. Heb. c. 10.*

Myfteria porrò natiuitatis eius, quod **Natiuita-**  
**in**



te in tem- in descriptione populorum natus sit in  
pore. Sion, vt homo verus: & fundauerit eam  
tanquam altissimus verus Deus, vt psal-  
mo 86. quis dignè celebret, nisi qui ade-  
ptus participationem generationis Christi  
carnis renuntiarit operibus: & ab eius ger-  
mine nullis terrenis cupiditatibus se sinat  
abduci; sic psalmo 95. & 96. quando do-  
mus edificabatur post captiuitatem, popu-  
li, & sylvæ, & flumina, vt plaudant mani-  
bus nempe operibus, & omnia ligna syl-  
uarum inuuantur.

Et de lau- Si pulchritudinem, fortitudinem, gra-  
dibus tiam labiorum, & mille Sponsi laudes, vt  
Sponsi. 44. & 71. recenseamus, quomodo id dignè  
fiet, nisi vestimenta iustitiæ, quæ in lege

*Psal. 44.* Dei sunt, è promptuarijs eburneis, puris  
cordibus, myrrha, gutta, & casia delibata  
in eius honorem, & gloriam, & delecta-  
tionem proferamus?

Et de my- Iam de mysterio Passionis, quod non so-  
sterijs lum apertissimis verbis psalmo 21. prædi-  
passionis catur ( qui meritò pro cerua matutina,  
vel aurora inscribitur, nam pernitate pe-  
dum summo diluculo præ desiderio cur-  
rentibus reuelatur: ceteris pigris, & affe-  
ctu languentibus, ac lentis absconditur )  
quid dicendum est? de quo & psalmo 68.  
70. & 88. magnificè agitur. In quo ma-  
nifestè sanctuarium eius, idest, regium dia-  
dema profanatum in terra narratur, quia

*Phil. c. 2.* exinaniuit se; & sibi illa inferri passa est di-  
uina



uina Maiestas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Quis, inquam, vel sine luce mysterium illud attingere, vel sine amore libare vt cumque potest? At illuminatio sine lege Dei haberi non potest: nec affectus terris affixus ad tam sublima confurgit. Eruat<sup>ur</sup> ergo quasi damula de la- *Prou. c. 6.*  
 queo: & per legis custodiam properet, qui eo festinare desiderat: & meminerit psalmum 87. inscriptum esse, pro Maheleth, idest, choro ad respondendum. Quid est autem ad respondendum? Explicat S. Augustinus verbis Apostoli Petri. Christus *1. Pet. c. 2.*  
 passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Hoc est enim in choro Christo Domino præcinenti respondere, sequi vestigia eius. Quomodo verò implebitur illud. Dixi ascendam in Palmam, & apprehendam fructus eius? Palma, & quidem *Cant. c. 7.*  
 dulcissimorum plena fructuum, Crux Christi est. Quo loco si Sponsam, idest, Ecclesiam, vel animam quamcumque loqui accipiamus, quomodo potest ascendere in hanc palmam, nisi scala mandatorum Dei? Cupiditatibus quippe terrenis inuiscata, & irretita nec volat anima, nec ascendit. Ergo purgata apprehendit fructus eius. Si autem intelligamus loqui Sponsam ipse ascendit in crucem, & apprehendit fructus eius. Fructus Crucis illius nos sumus. Fructus Crucis gratiæ, & bona, quæ nobis in illa promeruit. Nō enim ad aliud Crucifixus



1. Io. 3.

cifixus est, quam vt dissolueret opera Diaboli, nos sanctificaret, & ad summa sustolleret: qui ideo in nostra descendit, vt nos in sua prouheret. A Diaboli autem operibus abstinet, & Deo fructificat, qui per obseruantiam mandatorum Dei hosti non consentit, sed reluctatur, illum que pro merito contemnit, ac Deum diligit.

Et qui de vita aeterna.

Si promissiones aeternae vitae concupiscimus, vt psalmo 41.8 .147. Quomodo ad illas aspirabimus, vel tendemus, nisi per custodiam, cordis munditia, & probabilitate sanctorum morum? quae omnia mandatorum finibus circumscribuntur. Denique vt ait S. Augustinus, quis dignè cogitans mansionem, quae est apud Deum, in quam omnes conscripti sunt, qui secundum propositum vocati sunt, non enitatur ita vivere, vt illi habitationi congruat? Non potest autem illi congruere in caelesti templo, qui mandatis non congruat. Quia nihil inquinatum in illud introibit: nec ferramentum, aut instrumenta ibi audita sunt, quia lapides illic disponendi in hac vita perpoliuntur. Atque haec satis sunt, vt appareat quemadmodum ceteri omnes praemi reuocari ad hunc possint. Ex quibus illud intelligi volo, quanta sit huius utilitas, ac praestantia: ac proinde alios omnem tum perfectè cantatum iri, cum ad hunc id est, ad memoriam legis diuinae, & mandatorum custodiam referentur.

Rom. c. 8.

Io. c. 3.

D

S

est vt o  
ordine  
dum e  
hoc m  
delicet  
mine  
mumt  
omni t  
emula  
tebor t  
centes  
timet  
simum  
Rex: &  
uum. H  
prafati  
licet on  
trigesim  
Cet  
hic nost  
gulos v  
enoant.  
nem S.

DE



# DE PSALMIS ABECEDARIIS.

\* \* \*

**S**ED quoniam psalmus hic ( quod Sancti Patres sine mysterio esse non censuerunt) ita à Propheta cōpositus est vt octoni quique versiculi Alphabetico ordine ab eadem litera inchoentur, sciendum est in toto psalterio septem inueniri hoc modo per Alphabetum dispositos, videlicet vigesimum quartum, Ad te Domine leuauī animam: meam trigessimū tertium, Benedicam Dominum in omni tempore: trigessimū sextum, Noli æmulari: centesimum decimum, Confitebor tibi Domine in toto corde meo: centesimum vndecimum, Beatus vir, qui timet Dominum: centesimum quadragessimū quartum, Exaltabo te Deus meus Rex: & hunc centesimum decimum octauum. Horum meminit D. Hieronymus in præfatione in libros Regum Epistola 106. licet omiserit vigesimum quartum, & trigessimū tertium.

Quor, &  
quinara.

Ceterū hoc differt ab alijs psalmis hic noster, quod in ijs singulæ literæ singulos versus, in hoc singulæ octonos inchoant. Vtriusque autem rei hanc rationem S. Ambrosius assignat. Vt, inquit, quem

Cur psal-  
mus 118  
per Al-  
phabetū;



rios distinctus.

1. Co. c. 14

Cur Dominus dicit se esse Alpha & Omega.

Apoc. c. 1.

Qua alij psalmi alphabetarij cum 118, consentiant. De 24.

quemadmodum paruulorum ingenia primis literarum elementis affuescunt discendi usum assumere, ita etiam nos huiusmodi elementis usum discamus viuendi. Literis autem singulis offonos ait versiculos adscriptos, vt purgatio indicetur, quae octavo die statuta est legalis quidem circumscriptione; nostra autem, & vera, in resurrectione Christi. Sed vtinam puri simus, non sensibus, sed malitia, qui partem ethicam quam in Psalmis Spiritus sanctus complexus est, & qua ad purgationem oculorum & mysteriorum intelligentiam peruenitur studiosissime amplectamur. Et mihi quidem videtur simili elementaria figura videri fuisse Spiritus sanctus, cum in Apocalypsi B. Ioannis dixit Dominus, Ego sum Alpha & Omega. Nam cum innumera suppeterent exempla, siue a rebus naturalibus, siue a Mathematicis, siue ab alijs disciplinis, literali vsus est exemplo, vt se principium, ac finem ostenderet, tanquam diceret. Ita tritum, ac fixum omnibus esse debet, me esse principium, ac finem, vt patris, & elementarijs vulgare est, Alpha, & Omega, principium esse, & finem Graeci Alphabeti. Sed illud praetereundum non est, sex alios abecedarios psalmos cum hoc nostro, licet diuerso modo ponantur, quae traduntur, miro modo conuenire, vt facili conferenti ex ipsa collatione patebit. Nam in 24. quanta exprimitur voluntas praecendi

endi  
vias e  
mihi  
praed  
speran  
Firma  
eum;  
stetur  
superb  
stos, e  
inopia  
a Dom  
hi aure  
Angeli  
nifeste  
sti; &  
respect  
manda  
tum De  
& herec  
omnia  
manda  
tia, tim  
num esse  
tesimo  
potenti  
summa  
aeterna  
minum  
iugiter  
moratio  
tia glor



cendi Deo, & cognoscendi, & ambulandi  
 vias eius! Vias tuas, inquit, demonstra  
 mihi, & semitas tuas edoce me. Quam  
 prædicantur, qui timent Dominum, &  
 sperant in eo, & custodiunt eius legem?  
 Firmamentum est Dominus timentibus  
 eum; & testamentum ipsius, vt manife-  
 stetur illis. In 33. ponitur discrimen inter  
 De 33.  
 superbos, & humiles; peccatores, & iu-  
 stos, quorum illi egent, & esuriunt præ  
 inopia verorum bonorum, despiciuntur  
 à Domino, & pessima morte moriuntur:  
 hi autem gustant Dominum; & ab eo, &  
 Angelis eius defenduntur. In 36. item ma-  
 nifestè describitur diuersa via impij, & iu-  
 sti; & retributio vtriusque, vt appareat  
 De 36.  
 respectus Dei in Sanctos eius, & seruantes  
 De 110.  
 mandata illius. In 110. ponitur testamen-  
 tum Dei & esca, ac cibis timentibus eum,  
 & hereditas, quæ datur seruantibus fidelia  
 omnia mandata eius. Nec non intellectū  
 mandatorum Dei, qui ab initio sapien-  
 tia, timore scilicet illius inchoatur, ijs bo-  
 num esse, qui illa opere adimplent. Cen-  
 tesimo vndecimo manifestè prædicatur  
 De 111.  
 potentia, benedictio, gloria, diuitiæ,  
 summa iucunditas, spes, misericordia, &  
 æterna memoria illius, qui timens Do-  
 minum in mandatis eius, & vult nimis; &  
 iugiter delectatur. In 144. post commemo-  
 rationem magnitudinis, magnificen-  
 De 144.  
 tia gloriæ, & regni Dei, suauitatis eius,



veritatis, & aternitatis Imperij, concluditur tandem, prope esse illud omnibus inuocantibus eum in veritate: & voluntatem timentium se facere, deprecationum eorum exaudire, & custodire omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdere. Vides itaque custodiam mandatorum causam tot bonorum affluentissimam esse nec toto hoc nostro psalmo ferè aliud quam tractari; vt meritò proinde omnium abecedarij psalmi ita scripti sint, quia praeter ceteris alphabetum continent puerorum Dei.

*Significatio literarum Hebraicarum  
quam conueniat Psalmo 118.*

Literæ  
Hebrææ  
significati  
uæ sunt.

**N**unc superest considerandum quam congrue hæc elementa, & illorum significatio in hoc nostro Psalmo ponatur. Sciendum itaque apud Hebræos viginti duas literas, easque significatiuas esse, quæ ceteris linguis non contingit. Earum significaciones ponit S. Hieron. epist. ad Paulam Urbicam, & eodem fere modo interpretatur Euseb. lib. 10. de præpar. Euang. c. 2. & sunt hæc.

- 1 א Aleph doctrina, seu disciplina.
- 2 ב Beth domus.
- 3 ג Gimel plenitudo.
- 4 ד Daleth tabularum, seu librorum.
- 5 ה He ista.



- 6 **V** Vau &.  
 7 **Z** Zain hæc.  
 8 **H** Heth vira.
- 
- 9 **T** Teth bonum  
 10 **I** Iod principium.
- 
- 11 **M** Caph manus.  
 12 **L** Lamed disciplinæ, siue cordis.
- 
- 13 **M** Mem ex ipsis.  
 14 **N** Nun sempiternum.  
 15 **S** Samech adiutorium.
- 
- 16 **A** Ain fons, siue oculus.  
 17 **P** Phe os pro ore, non pro osse.  
 18 **Z** Zade iustitia.
- 
- 19 **C** Coph vocatio  
 20 **R** Res capitis.
- 
- 21 **S** Sin dentium  
 22 **T** Thau signa.

Has autē literarum significationes ita S. Sententię  
 Hier. & Euseb. inter se neunt, vt integras ex ijs  
 ex ijs sentētijs eliciāt, hoc ferme modo, vti octo.  
 kneis quoq; distinximus. I. Doctrina dom⁹  
 plenitudo librorū ista. II. Et hæc vita. III.  
 Bonum principium. IV. Manus disciplinę,  
 siue cordis. V. Ex ipsis sempiternū adiuto-  
 rium.



rium. VI. Fons, siue oculus oris iustitiae.  
VII. Vocatio capitis. VIII. Dentium si-  
gna. Quas sententias vbi explicauit Hiero-  
nymus subiicit. Oro te, quid hoc sacra-  
mentis sacramento? Videamus ergo &  
nos, quam hæc conuenienter de diuinis  
Scripturis, atque de hoc præcipuè psalmo  
dicantur.

I. Doctrina domus, plenitudo libro-  
rum ista.

*1. Tim. 3.* Quid autem sit domus, satis est mani-  
festum: siquidem S. Paulus ad Timot. ait.  
Ut scias, quomodo te oporteat conuertere  
in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viuens.

*In Eccle-* quæ est columna, & firmamentum verita-  
*si sola* tis. Huius domus doctrina, Scriptura sacra-  
*est vera,* est, & Apostolorum traditiones: in qua  
*& plena* bus plenitudo librorum continetur. Extra  
*doctrina.* autem hanc domum nec doctrina est, nec  
plenitudo librorum.

*Non ha-* Non habent hanc doctrinam, & plenitudinem Gentiles, qui  
*bent eam* scripturas non agnoscunt: neque ipsorum  
*Gentiles.* Philosophi, quamuis multa subtilia, & celestia  
quando sublimiora quædam, & celestia  
attingere videantur, vt Plato, Trismegis-  
tus, Plotinus, & ferè Platonici omnes, qui  
tam veram doctrinam non habent, quam  
nec veram sapientiam, aut pietatem: qui  
siqua dicunt, non argento probata, sed  
igne examinata, sed aliqua vera falsis  
mista, quasi somniantes loquuntur. Et  
Augustinus de his literis agens, vt cetera

*Psal 11.*

*Conf. l. 7.*

*c. 20.*

*21.*



taceantur, præcipua Scripturarum nostrarum capita eis deesse notat, de peccato hominis, de Christi redemptione, de chirographi captiuitatis nostræ euacuatione. Et subdit. Non habent illæ paginae vultum pietatis huius, lachrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum, cor contritum, & humiliatum, populi salutem, Sponsam, ciuitatem, arrham Spiritus sancti, poculum pretij nostri. Nemo ibi cantat, Nōne Deo subiecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum. *Psal. 61.*

Nemo ibi audit vocantem, Venite ad me omnes, qui laboratis: cetera omnia inania sunt. Vnde idem Sanctus ingemiscēs, quod in scripturis non sacris tempus cōtriuisset, pulcherrimè, atque piissimè Deo loquitur. Cum verba tua, per Scripturas tuas, suspenderent palmitem cordis mei, ne per inania raperetur turpis præda volatilibus.

Non habent Iudæi: qui Scripturas proferunt, sed sine claue, & spiritu Christi, doctrinam, quam proferunt, non intelligūt. *Non Iudæi.*

Non habent etiam, audeo dicere, nec ipsi, qui sacramentis initiati, & in adoptionem, atque honorem filiorum translati, corde non solum arido, sed occæcato, & duro non intelligunt vocem spiritus. Nemo quippe intelligit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso: ita & quæ Dei sūt, nemo intelligit, nisi Spiritus Dei. *Aliquo modo nec mali Christiani. 1 Cor. 2.*

Sic enim ait Apostolus: & idem sine hæsi- *Tit. 2. 1.*



tatione pronuntiat esse quosdam, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant: nec penetrant Scripturas, aut gustant de melle cæli melleas, & de lumine Dei luminosas. Quod S. August. de se, dum in errore versaretur, aperte fatetur.

*Conf. l. 9.*

*9. c. 4.*

*Doctrina  
vera quid  
doccat.*

*De orat.*

*De m.*

Hæc doctrina compendio docet quicquid ad Dei obedientiam, & pacem pertinet: & iter demonstrat, ut non per devia, & prærupta erremus in præceptis, sed plana, ac suavi ad eum via gradiamur. Quam paucis verbis egregie S. Cyprianus ita describit. Voluntas autem Dei est, quam Christus & docuit, & fecit, humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina: iniuriam facere non nosse, & factam tolerare posse: cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere: amare in illo, quod pater est, timere quod Deus est: Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit: caritati eius inseparabiliter adherere: Cruci eius fortiter, ac fidenter assistere. Quando de eius honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in questionibus fiduciam, qua congregamur; in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est coheredem Christi velle esse, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. Dicitur autem hæc doctrina

na Ple  
ac foli  
tudine  
sunt, n  
tatem

II.

In h  
confist  
per ser  
lia doc  
vt per  
bonum  
gnatio  
amore  
do pot  
datoru  
compl  
tudo,  
à man  
hac vit  
psal. si  
substan  
bernat  
viuere  
alloqu  
quem  
Merit  
doctri  
brorur  
II  
Hir  
spei na



na plenitudo librorum, quia eminentius  
 ac solidius ea complectitur, quæ ad pleni-  
 tudinem pertinent. Nam cætera inania  
 sunt, nec plenitudinem habent, nec satie-  
 tatem.

Cur vocetur pleni-  
 tudo li-  
 brorum.

## II. Et hæc vita.

In his enim verè vita nostra & alitur, & vita quo-  
 consistit, cum Deus ipse vita sit animæ, qui modo sit  
 per scripturas suas diuinitus inspiratas uti in sacris  
 lia docet, arguit, corripit, erudit in iustitia, Scriptu-  
 ris.  
 ut perfectus sit homo Dei ad omne opus 2 Tim. 3.  
 bonum instructus. Et sanè si ira in indi- Psal. 29.  
 gnatione Dei, & vita in voluntate, id est,  
 amore, & complacentia ipsius est, quomo-  
 do potest Deus vel amare, qui per man-  
 datorum negligentiam ab eo recedunt, vel  
 complacere sibi in ijs summa ipse pulchri-  
 tudo, & sanctitas, quos dissimiles sibi, &  
 à mandatis suis conspexerit deuios? De  
 hac vita egregiè D. Ambrosius in hoc ipso  
 psal. sic ait. Hæc est animæ nostræ vitalis  
 substantia, qua alitur, & pascitur, & gu- Serm. 7.  
 bernatur: nec quicquam est aliud, quod vers. 1.  
 viuere faciat rationabilem animam, quam  
 alloquium Dei. Vide locum pulcherrimū,  
 quem nos etiam supra totum posuimus. In Psal.  
 Meritò ergo dictum est in hac alphabetica  
 doctrina Ecclesiæ esse plenitudinem li-  
 brorum, & vitam.

## III. Bonum principium.

Hinc certè conijcere licet altitudinem  
 spei nostræ, ad quam, ut ait S. Leo, non  
 quæta at-  
 titudo.



signiter, nec cum torpore currendum vobis est. Cum enim ipsa adoptio filiorum, gratiarum thesaurus, & perpetua Dei circa nos (vt loquitur Apostolus) effectio, & formatio sit, respectu tamen perfecte plenitudinis, quæ in alia vita, in fonte luminis, & feruore seruiatur caritatis, veluti quoddam principium est. Vnde B. Apostolus Iacobus etiam regeneratos non est ausus dicere perfectum quid fuisse in hac vita effectos, sed tantum, Vt simus (inquit) initium aliquod creaturæ eius. Vnde cum per Spiritum sanctum, & per scripturas eius die formamur (vt legit Nazianz.) & quotidie expolimur, adhuc sumus initium aliquod creaturæ eius, vt tandem in alia vita ipsa præsentem, & absorbentem nos Vita, quæ Deus est, perficiamur, & deificemur. Ad quam tamen perfectionis plenitudinem, vt notat Cassianus, nemo perueniet alias in futurum, nisi qui præmeditatus, & imbutus ea fuerit in præsentem, eamque adhuc in hoc seculo positus prælibauerit: Christi membrum pretiosissimum designatus, arthram compaginis illius, per quam corpori eius valeat copulari, in hac carne possederit: vnum duntaxat desiderans, vnum sitiens, ad vnum omnes non solum actus suos, verum etiam cogitationes semper intendens, vt illud, quod in futurum dicitur de beata conuersatione Sanctorum, iam subarrhatum teneat in præsentem; id est, vt sit ei

*Iac 1.*

*Psal 18  
In sanctâ  
Penec.*

*De mobi  
lit anime.*

*c. 6.*

*Hæc vita  
preparat  
ad pleni  
tudinem  
futura.*



ei Deus omnia in omnibus. Sumus enim in hac vita partim Deo similes per virtutes, & dona Spiritus, partim dissimiles propter imperfectiones, & corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam. Tunc autem, cum facta fuerit de medio iniquitas, vt loquitur Bern. quæ eam, quæ ex parte est, dissimilitudinem facit, erit vnio spiritus, mutua visio, mutuaque dilectio. Si quidem veniente quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est: eritque ad alterutrum casta, & consummata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, coniunctio firma, societas indiuidua, similitudo perfecta. At dum in hac misera carne per fidem ambulamus, & non per speciem, talis perfectio haberi non potest. Quare idem Sanctus asserit sibi consolationi esse, quod magnus ille Paulus, vas electionis, dum negat se perfectum esse, sed sequi, si quomodo comprehendat, perfectum abnuens perfectum fatetur. Sed quomodo etiam in hac vita suam in nobis similitudinem Deus requirat, egregie S. Leo. Agnosce, inquit, o Christiane tuæ sapientiæ dignitatem, & quibus virtutum gradibus, ad quæ præmia voceris intellige. Misericordem te misericordia, iustum vult te esse iustitia vt in creatura sua Creator appareat: & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei similitudo resplendeat.

*Sap. 9.  
Seru. 82.  
in Cant.*

*1. Cor. 13.*

*2. Cor. 5.  
Phil. 3.*

*In illud.  
Videns  
Iesus turbas.*



## IV. Manus disciplinae, siue cordis.

Disciplinam, & doctrinam idem esse nonnulli Doctores notant: dici verò doctrinam, prout proficiscitur à doctore, disciplinam verò, prout est in discipulo. Dictum erat supra de doctrina Ecclesiae, & plenitudine librorum; iam hanc doctrinam, ut fructuosa sit, necesse est in discipulo corde recipi, & inhærere. Non enim frustra

*Psal. 118.*

orat Psalmista, Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Et quoniam hæc pars ethicæ multa continet scitu dignissima, orat ut diuina luce illa perspiciat. Verum, quia in parte præcipua morali, & mandatorum, siue legis disciplina parum prodest, imò magis obest scientia (sciens enim voluntatem Domini, & non faciens

*Luc. 12.*

vapulabit multis) nisi ex affectu etiam quisque ad agendum procedat, additur, Manus disciplinae. Per manum quippe operum intelligi, vel virtutem operatiuam nemo est, qui ignoret. Monemur igitur, ut, quae ex sermonibus diuinis assequimur, operum impleamus. Nam Psalmista Deum dixisse manibus exquisiuisse: & Spōsa gloriatur non in inuentione tantum, sed in qualificatione Sponsi, cum surgeret, ut illi pulsantem aperiret, manus suas stillasse myrrham, & digitos myrrhā probatissimā. Vides manibus, & digitos exercendos, si Deum querere volumus, id est, non solum operibus, quae per manus significantur, sed etiam di-

*Psal. 76.*

*Cant. 5.*

igitis, & lora c  
rendu  
phus  
solum  
digitos  
qui ma  
vtatur.  
subilit  
dam ex  
digitos  
quisqu  
super i  
rigat su  
dirigat  
operis,  
instātia  
Quod e  
tuo fac  
ra assu  
Add  
non di  
Nulla  
de non  
piunt:  
inde d  
operati  
tudo,  
plinæ  
bono t  
quæ in  
& ponc



gitis, & articulis; qui subtiliora, & difficili-  
 lora opera perficiunt, Deum esse exqui-  
 rendum. Non enim frustra Psalmogra- *Psal. 143.*  
 phus Deo gratias agit, quod docuerit, non  
 solum manus suas ad praelium, verum &  
 digitos ad bellum: cum tamen nemo sit,  
 qui manibus praelietur, quin digitis etiam  
 utatur. Sed nostra necessitas innuitur, &  
 subtilitas diuinæ operationis exponitur,  
 dum exponitur non solum manus, sed etiã  
 digitos à Deo mouendos: vt perat vnus-  
 quisque vt sit splendor Domini Dei nostri *Psal. 89.*  
 super ipsum, & opera manuum suarum di-  
 rigat super eum, & opus manuum suarum  
 dirigat. Hæc enim repetitio operum, &  
 operis, & directio tam necessaria, orationis  
 instãtiam signat, qua id petere debeamus.  
 Quod quiuis in spiritu ambulanti perpe-  
 tuo faciendum est, si stare, & ad sublimio-  
 ra assurgere seridò concupiscit.

Addit D. Hieron. Siue cordis, quod *Ex corde*  
 non difficile cum prioribus connectitur. *bonum*  
 Nulla est enim disciplinæ manus, si ex cor- *opus ma-*  
 de non prodeat. Inde enim desideria inci- *nare de-*  
 piunt: inde vigor animi cedere nescius: *bet.*  
 inde denique & manuum, & digitorum  
 operatio. Hic meditare quæ cordis recti-  
 tudo, quæ munditia esse debeat, vt disci-  
 plinæ manus fortiter exerantur. Nam de *Matt. 12*  
 bono thesauro cordis bona perfruuntur: &  
 quæ inde non exeunt, cordium scrutatori,  
 & ponderatori spirituum accepta esse non  
 possunt.



possunt.

V. Ex ipsis sempiternum adiutorium.

Adiutorium Dei perpetuo necessarium.

Quam congruè post manus disciplinæ, vel cordis, sempiternum adiutorium inde promittitur? Nulla est enim vel scientia Scripturarum, vel vita, vel sanctitas, quam in bono principio intelleximus, vel manus disciplinæ, siue cordis sine Dei adiutorio. Addit autem, sempiternum, quia illo perpetuò indigemus: & quia Deus non patitur eo nos vel ad horam desereri. Propter hoc Sancti quique vtrumque agnoscetes perpetuò clamant: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Nam se quidem, qui Deo tenente stare sciunt, eo manum retrahente, intelligunt stare non posse. Verbo Domini (inquit S. Bernardus) cæli firmati sunt: & terra stabit sine verbo? O si scires, quam parum est, quod habes; & illud parum quam citò amitteres, nisi seruare sis, qui dedit? Et S. August. O si cognoscant se homines homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur. Et alibi. Respiro (inquit) in te paululum, cum effando super me animam meam in voce exultationis, & confessionis, soni festiuitatem celebrantis: & adhuc tristis est, quia relabatur, & fit abysus; vel potius sentit adhuc se esse abysum. Et alibi: Bonum illi est hæere tibi semper (loquitur autem de spiritu humano) ne quod adeptus est con-

*Psal.* 69.

*Ser.* 85. in  
*Cant.*

*Psal.* 32.

*Conf.* l. 9.  
*c.* vlt.

*1. Cor.* 1.

*Conf.* l. 13.  
*t.* 2.

*lib.* 13. c.  
14.



uerfione, auerfione lumen amittat: & relabatur in vitā tenebrofam abyffo fimilē.

Hæc de neceffitate adiutorij fempiterni, quæ noftra eft. Si verò cogitemus benignitatem Dei fempiternum adiutoriū vel pollicentis, vel exhibētis, magna nobis eft confoiationis occasio. Plenæ funt Scripturæ huiufmodi promiffionibus, fed illud fuauiffimū, quod de templo Salomonico dicitur. Erunt oculi mei, & cor meum

ibi cunctis diebus. *Quin & Apoftolus magna nos fiducia diuini adiutorij replet, cū ad Hebræos fcribens, quod dictum fuerat.*

Iofue, transfert ad nos. Non te dereram, inquit, neque derelinquam. Vbi nos docet, quæ promiffa funt Patribus, fidenter

ſperare. Et paulo poſt, Mementote (inquit) præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti funt Verbū Dei, quorum intuentes exitum cōuerſationis, imitamini fidē.

Dicat quis præ puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate, quomodo poſſum imitari exitum cōuerſationis tam eminentium viro-

rum? quomodo ſectari fidem? Reſpondere videtur Apoftolus. Numquid illi proprijs viribus, aut propria poteſtate ea fecerunt? Ieſus Chriſtus heri, & hodie ipſe

& in ſecula. Idem ipſe, qui donauit eis, & erat præteritis temporibus, hoc eſt enim heri, idem & hodie, id eſt, præſentibus temporibus eſt, ipſe & in ſæcula, id eſt, futuris

uſque ad conſumationē ſæculi. Non enim,

Benignitas Dei in promittendo, & exhibendo adiutorio.

3. Reg. 9.

Hebr. 13.

Iofue 1.

Pſal. 54.

Hebr. 13.



*Hebr. 4.*

vt ait S. Bernardus: in eo aut thesauri gratiæ defecerunt, aut volūtas immutata est. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiā inueniamus in auxilio opportuno.

VI. Fons, siue oculus oris iustitiæ.

Quomodo Scriptura oculus oris ad loquendum.

Vtrumque significat vox, Ain, fontem, & oculum: & vtraque significatio egregiè quadrat proposito. Videamus prius de oculo. Dicitur ergo Scriptura diuina, siue Psalmus iste, qui illuminationē doctrinæ practicæ continet, oculus oris iustitiæ: vox autem hebræa, Phe, significat tam os, quod loquimur, quam totam faciem, sicut & apud Latinos. Si ergo accipiamus in prima significatione, videtur mihi sensus esse. Non posse aliquem de iustitia, & mādatis Dei rectè loqui, nisi habeat interiorē oculum, qui lumine diuinæ sapiētiæ collustretur: nec tractandas esse exhortationes spirituales, aut Scripturarum intelligentiam, nisi oculus iste mādatus sit: id est, vis nostra intellectiua superno lumine irradietur. Frustra igitur quæri intelligentiā psalmi huius sine diuino magisterio.

Quomodo oculus oris id est faciei.

Si autem accipiamus os pro facie, intelligimus faciem iusti, vel hominem ipsum iustum in omnibus actibus regulam, directionem, & quasi oculum diuinam scientiam habere debere. Quod videri potest eadem phrasi dictum, qua dictum est Dauidem in intellectibus manuum deduxisse populum.

*Psal. 77.*



IN PSAL. CXVIII. 2. 7

populum. Neque enim manus intellectu  
barent, sed inde colligimus, nihil illu in  
gubernatione populi fecisse, aut tentasse,  
quod non diuino lumine prauio aggredere-  
retur. Quod egregie S. Ignatius Martyr  
expres. it, dum ait perpendiculum nostra-  
rum actionum debere esse Spiritum san-  
ctum.

*Epist. 12.  
que est  
ad Ephes.*

Si vero intelligamus fontem oris iusti-  
tie, & hoc vtilissimam nobis doctrinam  
subministrat, ac si dicat, os, quod iustitiam  
loquitur, vel Dei iustificationes, precepta,  
iudicia, & multa huiusmodi, quae varijs  
nominibus hoc psalmo nominantur, &  
idem sunt, non posse recte ea proferre, nisi  
a Deo accipiat: tanquam dicat, Nemo  
potest aquam in plateas diuidere, vt ait  
Sapiens, nisi eam de fonte deriuat. Hanc  
vero aquam tantum abest, vt quis deriuare  
possit, vt ne oculum quidem habere  
credendus sit, quo fontem aspiciat, si non  
sit vir iustitiae. Vbi autem sit huiusmodi  
fons, egregie docet Ecclesiasticus, dum ait.

*Quomo-  
do Scri-  
ptura fons  
oris iusti-  
tia.*

*Prou. 5.*

Fons Sapientiae Verbum Dei in excelsis,  
& ingressus illius mandata aeterna. Ingres-  
sus autem illius dupliciter accipi potest,  
passiue quodammodo, & actiue. Si acci-  
piamus passiue, quomodo dicimus in-  
gressum domus, hoc modo intelligimus,  
nemini patere aditum ad fontem sapien-  
tia, qui est in excelsis, nisi per mandata  
aeterna. Dicuntur autem aeterna, vel quia

*c. 5.  
Anima p  
mandata  
ingredi-  
tur ad sa-  
pientia.*

*firma*



Mandata firma sunt, & stabilia, vt puta, casta, argen-  
 quare a- tum igne examinatum: vel quia obserua-  
 terna di- tores suos ad aeternam vitam perducunt.  
 cantur. De quibus idem Sapiens ait, Si volueris  
 P<sup>sal.</sup> 11. mandata seruare, conseruabunt te, & in  
 Eccl. c. 15. perpetuum fidem placitam facere. Quod

est dicere, si volueris mandata seruare, &  
 fidelitatem, quam Deo debes, perpetuo  
 exhibere eo modo, quo illi placitum est,  
 vel iuxta beneplacitum illius (nam id si-  
 gnificat vox græca, *ἐν δυνάμει*) conseruaberis,  
 & in hac vita per gratiam, ac Dei pro-  
 tectionem, & in alia per perfectissimam  
 securitatem. Vel fidem placitam facere, est  
 ex fide viuere, nempe quam Caritas for-  
 met, quod iusto tribuit Apostolus. Sola  
 enim fides, si absit obseruantia mandato-  
 rum, ad fontem, qui in cælis est, vbi San-  
 cti & potantur, & inebriantur, perducere  
 non potest. Quod eleganti similitudine,  
 ex auibis petita expressit S. Chrysostomus  
 cum ait aliam vnam esse fidem, nec volari  
 posse, nisi altera, quæ est caritas, & obser-  
 uantia mandatorum adsit.

Et per mā- Non aberrarit autem, si quis actiue ac-  
 data in- cipiat ingressum fontis, quo significatur  
 greditur Christum Dominum ad eam animam  
 sapientia venire, in eaque sibi facere mansionem,  
 in animā. quæ accepto ab ipso spiritu iustitia, operi-  
 bus insudat, & mandatis perficiendis per-  
 uigili cura laborat. Recte ergo hæc sen-  
 tentia fructum psalmi nostri indicat, dicitur  
 fontis



fontis & oculi, & oris iustitiæ meminit. *Sap. 6. 7.*  
Neminem enim diligit Deus, vt Scriptura  
ait, nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat. *Isai. 33.*  
Ad quam tamen, vt indicat Isaias, non  
peruenitur, nisi à timore Domini inci-  
piatur.

VII. Vocatio capitis.

Magna nobis breuibus his verbis con- **Christus**  
solatio, magnum fiducia præstatur robur. **est caput.**  
Nam & capitis, & vocationis fit mentio.  
considerandum quis caput sit, qualis vo-  
catio. Caput certè Ecclesiæ Christum Do-  
minum esse nemo Christianorum igno- **Cap. 1.**  
rat. & B. Paulus ad Ephesios, cum dixit  
set illum à Patre, ad cuius dexteram con-  
stitutus est, supra omnem Principatum, &  
Potestatem, & Virtutem, & Dominatio-  
nem, & omne nomen, quod nominatur  
non solum in hoc seculo, sed etiam in fu-  
turo, sublimatum fuisse, subdit, Et omnia  
subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit  
caput supra omnem Ecclesiam. Vbi in  
græco significantius: dedit caput supra  
omnia Ecclesiæ. Ac si dicat, Supra om- **Bona im-**  
nia beneficia, & super omnem gloriam est **mensa ex**  
habere caput Christum, & Ecclesiam esse **Christo**  
corpus ipsius, & plenitudinem eius: qui **capite.**  
omnia in omnibus adimpletur, vel adim-  
plet. Nam Græca vox vtrumque sonare  
potest. Præcellsum caput Christus, quod  
& ex vera humanitate membris congruat,  
& eadem ex vera diuinitatis maiestate ad  
subli-



sublimitatem participandæ Deitatis extol-  
 lat. Bonum caput Christus, quod vitales  
 iufluxus in membra influat. Bonum caput  
 quod suo illa spiritu vegetet, moueat, &  
 sensim instruat, decoretque. Bonum ca-  
 put, quod pro corpore sanguinem sudit.  
 Magnus thesaurus Christi sanguis, diues  
 ad pretium, efficax ad medicinam. Bonum  
 caput Christus, qui vt membra sibi artius  
 agglutinaret, corpus, & sanguinem, in ci-  
 bum, & potum dedit. Hinc illæ diuinæ  
 voces. Et ego claritatem, quam dedisti  
 mihi dedi eis: haud dubium, quin per Sa-  
 cramentum communicatæ carnis, vt S. Hi-  
 larius interpretatur. Nam hoc modo glo-  
 riam, & diuinitatē suam nobis imperit.  
 Hinc aliæ illæ sublimissimæ, & suauissimæ  
 voces, quas ad Patrem discessurus in se-  
 mone post cœnam protulit. Pro eis ego  
 sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctifi-  
 cati in veritate. Et illæ, Ego in eis, & tu  
 in me, vt sint consummati in vnum. Quid  
 est enim esse in eis, nisi caput in membris.  
 Qua participatione fit, vt cum Pater sit in  
 eo, sit & in nobis: neque Spiritus sanctus  
 desit, qui cum Patre, & Filio vna substantia,  
 vna diuinitas est. Denique bonum ca-  
 put Christus, qui ait, Volo, vt vbi ego sum  
 & illi sint mecum. Non enim possunt me-  
 bra à capite seiungi, ac proinde quo pra-  
 cepsit gloria capitis, eo spes vocatur & co-  
 poris. Cum virtute suæ minoritatis, quæ

minor:  
 Angeli  
 pore fa-  
 tem no-  
 di, ascen-  
 tate glo-  
 ciunt, il-  
 lentur.  
 finus. C  
 quid sen-  
 ergo se l  
 nos se c  
 non ere  
 sus feci  
 cit? mor-  
 vt viuas  
 mortu  
 viuat m  
 pite glo-  
 Vide  
 simus. C  
 vocatio  
 immacul  
 lus Petri  
 (id est, q  
 ter? qu  
 in nobis  
 & pietat  
 eius, qu  
 virtute  
 ria, & v  
 & preti



minoratus est ab Angelis, æquales nos Angelis, vt asserit S. Gregorius, suo tempore factur⁹ sit, qui moriēdo docuit mortem non metui, resurgendo de vita confidī, ascendendo de cælestis patriæ hereditate gloriari: vt quo caput præisse conspiciunt, illuc se subsequi & membra gratulentur. Hæc D. Gregorius. Et S. Augustinus. *in Ps. 148.* Qui donauit impijs mortem suam, quid seruat iustis, nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se auertat, non dicat, non ero. Et subdit. Plus est, quod Christus fecit, quam quod promissit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promissit? vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam vt in æternum viuat mortalis. Vides ergo cuiusmodi capite gloriemur.

Videamus iam quali vocatione vocati simus. Qui vocauit nos, inquit Apostolus, vocatione sua sancta, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius. Et Apostolus Petrus quasi exclamans, Quomodo (idest, quam admirabiliter? quam affluenter? quam supra intellectum?) omnia in nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitã, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos, propria gloria, & virtute (cernis vocationem propria gloria, & virtute factam) per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc

Quam  
excellens  
vocat o  
Christia-  
norum.  
2. Tim. 1.  
Petr. 1.



Cap. 1.

hæc efficiamini diuinæ confortes naturæ. Quod ipsum agnoscere tam necessarium est, tamque salutare, vt Apostolus Paulus perpetuam memoriam faceret, quem admodum scribit ad Ephesios. Vt Deus, inquit, det vobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit vocatio eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in Sancti, & quæ sit supereminens magnitudo eius in nos, qui credimus.

Vocatio  
nō suppo-  
nit bona,  
sed facit.

Rom. 4.

Sed id summopere perpendendum est, quod Dei vocatio nō presupponit in nobis bona, sed facit, vnde dictū est ab Apostolo, Qui vocat ea, quæ non sūt, tanquam ea quæ sunt: quod scilicet vocando fecit, vt essent, quæ antea nihil erāt. Quod si de cælis, terra, luminaribus, frugibus, arboribus, piscibus, animantibus, & hominibus, quæ omnino nulla erant: scriptū est. Dixit, & facta sūt, & verum est idē facta, quia dixit quanto sublimiūs in rebus, quæ naturam superant, quæ gratiæ, adoptionis, bonorum operum promissionum, sublimatum, & æternitatis, id sentiendum est? vt cum Apostolo dicamus, Non ex operibus, sed ex vocante. Recognosce, quæ alibi attulimus ex S. Bernardo, dum tractat quid sit in cordib⁹ nostris, quid in corde Dei. Hoc igitur mihi suggerit, & sapit, quod dicitur vocatio capitis. Hæc autem non se-

Rom. 9.



Rom. 10.

lum per internas inspirationes, sed etiam per auditum fidei, quod sine predicante non fit; & per scripturarum sacrarum lumen Vocatio efficit, præcipuè verò dum mandata seruare docet, quæ via est incorruptionis, & immortalitatis. Quæ præcipuè doctrina in hoc psalmo, tanquam in morali parte continetur, dum per viam mandatorum, & legis custodiam nobis currendum intelligimus, vt ad vitam ingredi valeamus.

VIII. Dentium signa.

Hæ duæ voces, quæ separatim poni possunt, quod facit Euseb. Dentes, & signa, aliud innuunt: aliud verò si coniunctim ponantur, vt fecit S. Hieronymus, Dentium signa. Dens aliquando in Scripturis Ebur significat: fortè propter excellentiam, & magnitudinem dentis Elephantis, vnde Ebur est. Atque ita si dēs accipiatur, philosophari possumus, tum propter candorem, tum etiam propter soliditatem Eboris, & frigiditatem, puritatem corporis, & animæ significari: quæ per Scripturas sacras maximè comparatur, præsertim secundum moralem doctrinam. Et illud S. Hieronymi peruulgatum est. Ama studia Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Dens aliquando ebur.

Quomodo autem intelligimus quid sit Thau signum, nisi forte ex Ezechiele, cui à Domino dicitur, Signa Thau super

Thau signum Crucis.

per



*Ezech. 9.* per frontes lugentium, & gemētū? quod Patribus consentientibus signum Crucis significat, figura etiam apud veteres Hebræos non dissimili. Et confirmatur etiam *Cap. 7.* Apocalypsi, ubi B. Ioannes vidit ad custodiam, & perfectionē multa millia hominum signari: haud dubium, quin signum Dei viui, quod Crucem accipimus, præsertim cum figura præcesserit, qua domus quæ sanguine agni linitæ erāt in supereminaribus, & in postibus, id est, in superioribus potentijs, intellectu, scilicet, & voluntate; & inferioribus, quæ sunt ceteræ animæ potentia, Aegyptijs percussis, & morientibus, liberae fuerunt ab externatore.

Quod si coniungamus, ut S. Hieronymus, dicamusq; dentium signa: neque hoc à proposito discrepat. Sunt enim dentes, ut notat B. Dionysius, quibus cibos mandimus, & sapor, atque nutriendis corporibus aptos reddimus, id est, vis ipsa spiritualis discretiva, molitrix, seu masticativa (ut ita dicamus) spiritualium sensuum, quæ à Scripturis sapidissimè eliciuntur. Sunt item, per quos nobis cibos incorporamus

*Mat. 10.* & Petro dictum est, Surge Petre, occide & manduca: ut quæ antea belluæ erant, & ad esum non solum inepta, sed maxime noxia, felici cōminutione, & masticatione per doctrinam fidei, & morum, in corpus Ecclesiæ traiceret. Quanquam non



mihî ineptè colligere videretur, qui diceret dentium signa esse, cum quis fortiores cibos mandere potest: iuxta quod Apostolus ad Hæbreos quosdam reprehendit, qui semper lacte non etiam solidiori cibo nutriti volebant. At (inquit Apostolus) omnis, qui lactis est particeps, expertus est sermonis iustitiæ. & item, Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Perfectorum enim est solidus cibus, & eorum, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. Quare hoc sensu idem erit dicere, Signa dentium, vel signum dentium, ac si diceremus, hominẽ iam perfectum, & in Scripturis exercitatũ, hoc signo ostendere, se dentes habere spirituales, si possit sublimiores sensus in Scripturis assequi; quod ipse psalmus noster, & per se, mores reformando, præstat, & dum puritate animi maiore ad excelsiora perducit. Nam (vt ait S. Dionysius) vt inter amicos etiã

Hebr. 5o

usu venire solet, quo magis fuerit quis amicus, eo confidentiũs, & multipliciũs illi secreta nostra communicamus.

\*\*  
\*

LAUS DEO, ET B. V.

ME-



MEDITATIONES  
IN PSALMVM  
CXVIII.  
TITVLVS PSALMI.  
ALLELVIA.

Tres cau-  
sæ tituli  
huius  
Psalmi.



VAM congruè psalmus, qui  
de beatitudine differit, & ob-  
seruatione legis Dei, titulum  
quasi inscriptionē, quæ in-  
bet, quid intus recondatur, ha-  
bet Alleluia, hoc est, Laudate Dominum.  
Primū, qui à laude Dei incipiendum est.  
Secundò, quia eius misericordia lucem, ubi  
vbi sit beatitudo, manifestantem; tum  
qua via ad eam ambulandam sit dirigens,  
tem, exhibet. Tertio, quia ambulare in  
lege Domini hominem & beatū, & hila-  
rem facit: vt secundum eam viuere quæ  
perpetuum sit Alleluia. Mens enim sicut  
ra quasi iuge conuiuium: & gaudent labia  
iusti, cum cantat Deo suo: & repletur os  
eius laude, cum ambulat in vijs eius. De-  
nique, quia huius viæ terminus diuinitas  
est Alleluia: & sicut in via hac de virtute  
in virtutem Iustus ambulat, ita de laudibus  
in laudes, donec ad perfectam, quæ veritas  
in patria est, laudem perueniat.

*Prout 15.  
Ps. 70.*

*Ps. 80.*

Alph



⌘ Aleph, id est, Doctrina.  
*Octonarius primus.*

1 **B**eati immaculati in via : qui  
 ambulant in lege Domini.

2 Beati, qui scrutantur testimonia  
 eius : in toto corde exquirunt  
 eum.

3 Non enim qui operantur iniqui-  
 tatem, in vijs eius ambulaue-  
 runt.

4 Tu mandasti mandata tua custo-  
 diri nimis.

5 Utinam dirigantur viæ meæ, ad  
 custodiendas iustificationes tuas.

6 Tunc non confundar, cum per-  
 spexero in omnibus mandatis  
 tuis.

7 Confitebor tibi in directione  
 cordis: in eo, quod didici iudi-  
 cia iustitiæ tuæ.

8 Iustificationes tuas custodiam:  
 non me derelinquas usquequa-  
 que.

**K** I Beati



I Beati immaculati in via: qui ambulat in lege Domini.

**H**EBRAEA vox immaculati, significat sincerum, sine macula, perfectum, cui nihil desit: quo indicatur, & quales esse oporteat, qui ambulare desiderant in lege Domini, & quales faciat ipsa legis observatio. Sed beati, inquit, in via: & qui ambulant in lege Domini. Audis viam, audis ambulare, audis legem, audis Dominum. Hæc omnia plena sunt doctrinis, iuxta primam literam, vnde psalmus inchoatur. Nam via primum dicit tendentiam, vnde monemur, vt aduertamus, quo via ducat. Etenim de quibusdam dictum est. Errauerunt in solitudine in inaquosam viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Et item. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Quomodo enim nisi stultissimi sunt, qui ab itinere regio, deuiantes, ad illam Metropolim, quo noster cursus indeclinabiliter semper debet esse directus, non poterunt peruenire. Siquidem extra viam aberrare (nam pergere non est) neque scire quo tendere laborem habet, fatigationem habet: mansuetudinem, requiemque non habet. Alleluia semper tibi canetur, Pater misericordiarum, qui docuisti nos, & quo tendenda via in qua sit, & qua via pergendum. Quanta Philosophi ineptè, quam multa acutè

Via primū significat tendentiam.

Pf. 106.

Eccl. 10.

Cass. col.

24. c. 24.

Beatitudo  
via in  
quo sita.



dem, sed inutiliter de finibus bonorum, & malorum, de ipsa beatitudine differunt? Ita vani, ita cæcutientes, ita inter se dissidentes, vt doctissimus Romanorum Varro in libris de Philosophia, teste S. Augustino, ex eorum principijs, & placitis ducentas octoginta octo sectas enumerat, quæ de beatitudine esse possent. Gratias tibi Doctor veritatis, Magister omnium, dux cæcorum, qui de cæcis videntes facis, gratias tibi semper. En habemus vnico verbo abs te, in quo nostra beatitudo consistat in via. Beati, inquis, immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Hæc est beatitudo viæ, quæ ad beatitudinem Patriæ ducit. Quam multiplex via, quam vna? Vna, quia immaculatum esse, sincerum, integrum, perfectum, & in lege tua ambulare beatum facit. Multiplex, quia in eadem vna via beati sunt pauperes Spiritu, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Secundò, via dicit fatigationem, vt proinde leuamen aliquod necessarium sit. Est autem ipsa confortatio, & alleuatio inspirationis internæ. Dormitauit anima mea prætrædio: haud dubium ex fatigatione itineris. Verum audi remedium. Confirma me in verbis tuis. An tibi aliud vel pa-

*Ciu. l. 19.*

*Mitt. 5.*

*Secundò via affert fatigationem.*

*Psal. 118.*

*Psal. 28.*



ti, vel petere videtur, qui hoc petit, quam  
 vt diuina inspiratione, diuinoque aloquio  
 roboretur? De quo pulchrè S. Bernardus.  
 Ergo vbi contingit tale aliquid pati, si mi-  
 fertus Dominus appropiet nobis in via,  
 qua ambulamus, & incipiat loqui de celo,  
 qui de celo est; nec non fauorabile quip-  
 iam cantare nobis de canticis Sion, nar-  
 rare etiam de Ciuitate Dei, de pace ciui-  
 tatis, de æternitate pacis, de statu æterni-  
 tatis, dico vobis erit pro vehiculo animæ  
 dormitanti, & pigritati læta narratio, ita  
 vt pellat omne fastidium ab animo audiē-  
 tis, & à corpore fatigationem.

Tertiò re-  
 quirat lu-  
 men:

Tertiò, via requirit lumen: nam in tene-  
 bris ambulare errorem habet, & tardum  
 non progressum: sed ipsa lex lux est. Ape-  
 ri Domine oculos nostros, ne clausi etiam  
 sparsam lucem tuam non videant: ne im-  
 pingamus, & offendamus, quia lux non  
 ceoritur à nobis. Sana eos collyrio tuo, vt  
 lucem aspicere possint, & viam cernere  
 qua gradiuntur; & offendicula vitare, que  
 occurrant. Dic, & iussu tuo fiet. Dic An-  
 gelis sanctis, Viam facite, præbete iter, de-  
 clinate de semita, auferte offendicula, &  
 via populi mei, vt cum lapidibus regionis  
 sit pactum nostrum. Et te preparante viam  
 populi tui, eligantur, id est, semoueantur, la-  
 pides offensionis: quo fiet, vt luce tua spici-  
 ente, itinere complanato, semotis lapidibus,  
 atque offendiculis, viam mandatorum  
 tuo

Isa. 57.

Iob 5.

Isa. 62.

Psal. 118.



tuorum inoffenso curramus pede.

Quartò, sed & aliud nobis præbet documentum, quod sumus in via: Nimirum nondum in patria, nondum in tuto. Cauendum ergo, quia latrunculi iter nostrum obsident, vt nos de via abreptos, a que in syluas ablatos pro suo arbitratu spolient, furentur, mactent, & perdant. Heu quàm infelix conditio. Aliquid solatij, quod in via sumus; sed nulla securitas, quod nondum peruenimus: adhuc periclitamur. In via, inquit, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi, & rete expanderunt pedibus meis, & foueam foderunt, vt caperent me. O speculator summe, qui oculos lucidissimos apertos te habiturum super nos pollicitus amantissimè es, attende, & respice de caelo. Da luxuriam, vt laqueos videamus: da pennas, vt euadamus: quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Tria enim ista perpetuò animæ inquirenda sunt, ait S. Bernardus, Via, in qua ambulet; cautela, qua ambulet; mansio ad quam ambulet. Via ipse es Iesu benignissime, qui dixisti, Ego sum via. Via lex tua, in qua, & per quem ad te pergimus. Via, cursus vitæ huius, quem breuissimo spatio percurrimus, quâ tum libet eius fuerit prolixus vapor. Cautela vero, accurata gressuum nostrorum obseruatio: quia in medio laqueorum positi non difficile capi-

Quartò monet nō esse nos in Patria.

*Psal. 139.*  
*Ibren. 1.*  
*Psal. 56.*

*Prou. 1.*

Tria anima perpetuò inquirenda.  
*S. Bern.*

*ser. 33. in Cant.*

Primò via per quâ.

*Io. 14.*

secundò cautela

qua.

*Ephes. 3.*





mur: vt sciamus cautè ambulare, quoniam dies mali sunt, vita breuis, via periculosa: proinde vt non insipientes, sed vt sapientes ambulemus.

*Tertiò  
mansio ad  
quã am-  
bulet.  
Psal. 15.*

At mansio, ad quam per hanc viam tēdimus, Patria est omnino desiderabilis, desideriorum omnium terminus, & adimpletio. Adimplebimur quippe lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem. Propterea securus de via admones, qui de termino securus pronuntias: vt de te meritò Sanctorum tuorum quispiam dixerit. Magna itaque promissit, qui magna præcipiendo docuit, vt magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Si ergo in mentem venerit assidue mansio, ad quam ambulamus, delectabit iugiter & via mandatorum, per quã eò currimus.

*Quintò,  
necessa-  
rius in via  
ad currendum,  
cibum nimirum,  
quo alimur,  
roboremur,  
confortemur,  
atque in  
cursu incitemur.*

Quintò, aliud intelligimus in via per necessarium ad ambulandum, præcipue verò ad currendum, cibum nimirum, quo alimur, roboremur, confortemur, atque in cursu incitemur. Si enim ieiuni pergimus, deficimus in via. Nam & Elias, vt ambularet vsque ad montem Dei Horeb ab Angelo excitatus, quæ ille parauerat comedit, & bibit: atque in ea fortitudine roboratus grandem viam perficere valuit. De quo cibo spirituali S. Dionysius in Epist. ad Timotheum ita philosophatur, egregie ostendens, quæ ex cibo commoda oriantur. Dicimus, in-

*Ep. 9.*



qui, escam omnem vim habere perficien-  
 di, quos nutrit, dum imperfectum illorum  
 atque indigentiam replet, & infirmitatem  
 curat, vitamque custodit, & reuiuiscere  
 facit, ac renouat; & vitalem illius iucundi-  
 tatem, copiamque largitur; prorsusque mœ-  
 stitiæ, & imperfectionis omnis expultrix,  
 heritiæ verò, ac perfectionis indultrix est.]  
 Est autem cibus hic noster, quo alimur, &  
 viuificamur, tum ille, de quo tu Domine  
 panis viuus, & vita ipsa dixisti, [Meus ci-  
 bus est, vt faciam voluntatem eius, qui mi-  
 sit me: is enim verè roborat, & vires au-  
 get; tum Scripturarum sanctarum frequēs  
 meditatio. Quia verbum tuum panis est  
 vitam præstans, & fortitudinem augens;  
 tum præcipuè panis supersubstantialis, &  
 viuificus, caro videlicet tua, quam in mul-  
 titudine dulcedinis tuæ Spiritui nutriendo,  
 confortandoque parasti, non vtique mi-  
 nisterio Angelorum de aereo cælo, vt Pa-  
 tribus exhibens manna, sed de cælo cælo-  
 rum tua potentia panem vitæ ministrans.  
 Idcirco & de ijs, quos labor stultorum af-  
 figit: cum dictum esset, Errauerunt in so-  
 litudine in inaquoso. viam ciuitatis habi-  
 taculi non inuenerunt, subiunctum est,  
 Esurientes, & sitientes, anima eorum in  
 ipsis defecit. At contra tuis, & qui in viâ  
 ambulant, cum excelsa prædicatione di-  
 ctu est. Venite, comedite de panibus meis,  
 & bibite vinum, quod miscui vobis.

Ioan. 4.

Exod. 16.

Eccl. 2.

Psal. 106.

Prou. 6.

K 4.

Quod.



*Ambulare quid sit.* Quod autem dicitur, ambulare, quid est nisi progredi? Non enim licet stare, & sedere: sed necesse est perpetuò ambulantes ad anteriora progredi. Qui enim nō proficit, ait S. Leo, deficit: & qui nihil acquirit, non nihil perdit, quia scilicet non progredi regredi est. Refectis ergo huiusmodi cibis semper progrediendum est, & de claritate in claritatem transeundum; affectibus nimirum semper purioribus ad eum, qui vbiq; est præsens, non pedibus accedendum. Hoc est ergo in lege Domini ambulare, quod beatum in via, etiam in valle lacrymarum facit, ducendum quandoque ad montem gaudiorum. Sed, quod magis mirere, id euenit in hac via spirituum pedibus nostris, quod in corporalibus nusquam inueniri potest: vt expeditiores sint vincti; imò sine vinculis ambulare non possint. De quibus Sapiens, Inijce fili mi, pedem tuum in compedes illius, id est, Sapientiae, & in torques illius collum tuum: & erunt tibi compedes eius ad protectionem fortitudinis, & bases virtutis; & torques illius in stolam gloriae.

*13. ep. 25.* Quis non exclamet cum Cypriano ad Martyres (quādo affectus habere pro Christo ligatos genus Martyrij est) o pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur.

*Quantum Dei donū* Sed vbi ambulandum? in lege, inquit, Domini. Extra eam non est via, sed inuita.

Non



Non progreditur quis, sed inani circuitu *lex Domi-*  
 fatigatur. Eam habere, & seruare quantæ *ni.*  
 pacis, quantæ gloriæ est? vt de ea dixerit  
 Dominus. Hæc est vestra sapientia, & in- *Deut. 4.*  
 tellectus coram populis, vt audientes vni-  
 uer a præcepta hæc dicant, En populus sa-  
 piens, & intelligens, gens magna. Vides  
 quam excelsum faciat apud omnes popu-  
 los vt sapientiæ, & intellectus nomen af-  
 ferat? vt præconijs inter omnes effèrat, &  
 magnam denominet legem habere Dei?  
 Non enim cuiuslibet legislatoris lex no-  
 stra: non Lycurgi, aut Platonis, aut cu-  
 iuslibet hominis lex nostra est, sed lex Do-  
 mini, Eius nempe, qui & naturalis est Do-  
 minus, cui subiectio in totum debetur; &  
 prima est rectitudinis regula, cui conformemur,  
 & solus custodientiũ largissimus *Exod. 13.*  
 remunerator. Hanc Dominus ipse semper *Psal. 1.*  
 in ore habendam iubet: hanc qui medita-  
 tur, erit tanquam lignum, quod plântatum  
 est secus decursus aquarum, quod fructum  
 suum dabit in tempore suo, nec foliũ eius  
 defluet. Seruatur autem ab ijs, qui impe-  
 dimenta remouent, qui carnales quoscun-  
 que affectus diuinæ legis custodiæ postpo-  
 nunt: sicut scriptum est. Qui dixit Patri suo  
 & Matri suæ nescio vos, & fratribus suis *Deut. 33.*  
 ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi cu-  
 stodierunt eloquium tuum, & pactum tuũ  
 seruauerunt. Iudicia tua, ô Iacob, & le-  
 gem tuam, ô Israël. Non sanè quam ipse



condidisti, sed quam à Domino accepisti. Tua enim ideo dicitur, quia tibi, ad te, & pro te data est.

2 Beati, qui scrutantur testimonia eius.

Scrutari  
quid sit.

**T**ESTIMONIA idem esse, ac præcepta, & legem, toto hoc psalmo manifestum est, quam ut longa explicatione indigeat. Quare idem erit, ac si dicatur, Beati, qui legem eius meditantur, ac perscrutantur. Legem autem scrutari, est diligentissime inspicere, & inuestigare. Non enim leuiter, ac perfunctorie legem Dei meditari

*Homil. 2.  
de verb.  
Isa. Vidi  
Dominū.*

debemus, sed perscrutari. Qua de re affert S. Chrysostomus elegantissimam de aurifodinis similitudinem: in quibus si vel tantillum signi apparuerit eius venæ, omnia & arenam, & puluerem diligentissime scrutamur, peruestigamus, excutimus, cum tamen sæpè labor frustra assumatur. Quid ergo cure ponendum in lege Domini, & sacris Scripturis perscrutandis, in quibus nihil adeo minutum, & exiguum videtur, quod non certissimo, opulentissimoque thesauro plenum sit? Sed non arbitrator sine causa legem testimonia dictam, & tabernaculum testimonij, vbi lex recitata erat.

*Exod 25.  
27. &c.*

Lex Testi-  
monium  
Dei, quia  
testatur.  
primum

Primum quidem, quia per eam contestabatur Dominus, palam declarans quid fieri, quid non fieri vellent: ut tibi, Contestabor te populum: & alibi, Contestabor te Israel.



Israel.

Secundò, quia lex ipsa testimonium est Dei volū-  
 diuinæ prouidentie, & sapientie, qua tatem.  
 nos gubernat. Si enim pluias dare, & *Exod. 19.*  
 tempora fructifera, quæ ad naturalia spe- *Psal. 80.*  
 ctant, appellat Paulus testimonia diuinæ *Secundò,*  
 prouidentie, quanto magis per doctrinā, prouide-  
 & legem ostendit Dominus nos, nostra- *tiam.*  
 que sibi esse cordi? Non enim iuxta *Act. 14.*  
 pientes illos circa cardines cæli perambu- *Iob. 22.*  
 lat, nec nostra considerat, sed instruit  
 nos accuratè, ac dirigit, in via statuit,  
 gressus dinumerat, & ad Patriam ducit.  
 Et, quod maius prouidentie signum,  
 quam vt nos deuios corrigat, tortuosos  
 dolet, rectosque faciat: & quasi torno le-  
 gis tortuositates, asperitates, & inæquali-  
 tates complanans suis præceptis, imò  
 manibus aureis, ac tornatilibus ad simili-  
 tudinem sui efformet? Nonne si quis le- *Cant. 5.*  
 gem, ac testimonia hoc modo conside- *Psal. 143.*  
 ret, exclamabit, Quid est homo, quia  
 innotuisti ei, te ipsum scilicet manifestā-  
 do? aut filius hominis, quia reputas  
 eum, ipsum doctrina, & institutione tua *Psal. 93.*  
 reformando? Et item, Beatus homo,  
 quem tu erudieris Domine, & de lege  
 tua docueris eum, vt mitiges eã diebus  
 malis.

Tertiò est testimonium suauitatis, quod *Tertiò,*  
 dulcius sapit. Nihil enim ita diuinam dul- *suauitatē.*  
 cedinem manifestat, quam quod nos inde-



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



*Psal.* 24. fessa longanimitate suis legibus emolliat, atque perficiat. Dulcis, inquit, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Rectus in se, dulcis pro me: in altero sibi complacet, in altero cōsulit mihi: utrobique bonus, & misericors

*Psal.* 144. ac miserator, patiens, & multum misericors. Propter hoc, ait, legem dabit delinquentibus in via. Quid est, Propter hoc? nimirum quia dulcis, & rectus. Ecce dulcedo, & rectitudo in causa sunt, ut legem det delinquentibus in via, hoc est, qui alioqui à via aberrant, & in usu vitæ huius atque conuersatione à rectitudine deflectunt. Hæc itaque testimonia versanda sunt, iugique meditatione scrutanda. Sine enim te, Deus meus, vera luce, ac sapientia recti esse non possumus. Nec sine causa insignis ille Dux, Minister, ac successor Moysi Iosue, etiam recedente Mose ad negotia populi, de tabernaculo testimonij non recedebat; ut indicaret, idem nobis semper faciendum ob perpetuam erga te deuotionem: & cum magna aggressuri sumus, ad quæ peragenda tuo & lumine indigemus, & brachio, ceteris despectis, ad legem magis, atque ad testimonium curandum.

*Exod.* 33. Quarta, si legem consideremus secundam eam partem, quæ figuras, & prophetias continet, caeremonias, & huiusmodi, videtur mihi iure appellari testimonium, quia

Quarto, quia restatur, & præannuntiat Christum.

quia C  
Christi  
lia præ  
bent:  
men si  
perfect  
ostende  
bant, q  
legem i  
Nam q  
rat legi,  
Deus fi  
nem car  
uit pecc  
implere  
carnem  
tum.

In e  
R Vrsu  
Rgrin  
us prole  
simus sis  
rationer  
uenit,  
es, quia  
via non  
rendus a  
parte qu  
rendus t  
quod ex  
est. Int



quia Christum hæc omnia testata sunt, Christum præloquuta. Nec etiam moralia præcepta testimonium ipsi non exhibent: quia cum impleri deberent, nec tamen sine gratia possent, cum nihil ad perfectum ducerent, sed tantum peccatum ostenderent, illum sine dubio proclamabant, qui autor gratiæ peccatum tolleret, legem impleret, perfectionem præstaret. Nam quod, ait Apostolus, impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.

Hebr. 7.

Rom. 8.

In toto corde exquirunt eum.

**R**ursus absentia, rursus via, rursus peregrinatio. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: & cum ipse præsentissimus sis, qui das omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: in quo vivimus, movemur, & sumus, querendus tamen nobis es, quia Deus absconditus: quia positus in via nondum reuelas faciem tuam. Querendus autem sine termino, quia & si ex parte quaeris, & ex parte inueniris, querendus tamen semper, donec euacuato, quod ex parte est, veniat quod perfectum est. Interim præscribitur nobis, Querite

Psal 119.

Act 17.

Exquire-  
dus Do-  
minus  
semper.

1. Cor. 13.

Psal. 104.

K 7

Domi-



*Bernard.  
ser. 84. in  
Cant.*

*Psal. 104.*

*Ex toto  
corde.*

*Psal. 76.*

*Psal. 26.*

*Quid sit  
toto corde.*

Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Neque extundit desiderium sanctum felix inuentio, sed extendit. Et vbi que ipsum quærare lætitiã conciliat, iuxta quod scriptum est, laudamini in nomine sancto eius, lætetur cor quærentium Dominum. Quomodo enim lætetur quærens, qui nondum inuenit, quod quærit, nisi quia ipsa quæsitio non solum ex parte inuenit, sed etiam spem perfectæ inuentionis parit, spes autem lætitiã? Exquirendus autem in toto corde, quasi scrutari testimonia toto corde quærare faciat; & toto corde exquirere moueat, & accendat ad testimonia perscrutanda, in quibus Dilectum anima inuenit: quæ etiam in nocte huius vitæ, & tentationis Deum exquirat manibus: & interim, dum plenè teneat, habet solatium suum. Memor fui Dei, & delectatus sum, o facilem, & parabilem rationem. Quæritur cum anxietate Sponsus: & cuius quæsitio non est sine dolore, atque suspirio; eius tamen ipsa memoria delectat. Et habetur ergo, & quæritur, sed alio, atque alio modo. Habetur, quia diligitur, quia desiderio tenetur, amoris brachijs astringitur; & tamen delectabilius quæritur, quia semper quæritur. Tibi Domine dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine, requiram. Sed quomodo quærendus es, vt lætemur in toto corde. Quid est in toto corde? corde

de mag  
toto co  
num ex  
bus vi  
re volu  
tamen  
mission  
ne: quia  
beo, num  
num qu  
ad alia  
qui non  
corde qu  
Et aqua  
Nazianz  
denda e  
cor deri  
vt ad vn  
S. Augu  
cupata v  
verberat  
per amo  
quam se  
pheta) d  
tu meo  
labo ad  
est, super  
nocte, &  
ritum r  
non exp  
in toto  
quærens



de magno, & animo volenti. Quid est in  
 toto corde? Diliges, ait, Dominum Deum *Luc. 10.*  
 tuum ex toto corde, ex tota anima, omni-  
 bus viribus. & hoc quis capiat? Si expone-  
 re voluero obtunderetur potius sapor. Sed  
 tamen toto corde exquirere, est sine inter-  
 missione, sine remissione, sine diuisione:  
 quia nunquam cessare à quærendo de-  
 beo, nunquam lentè, & frigidè omne bo-  
 num quærere, nunquam diuiso corde, vt  
 ad alia deflectat. Non toto corde quærit,  
 qui non tota plenitudine quærit: non toto  
 corde quærit, qui alia simul concupiscit.  
 Et aqua quæ pluribus vijs spargitur (inquit  
 Nazianzenus) ad altiora non assurgit: clau- *Nazian.*  
 denda est, obturanda est via, ne ad alia *in prace.*  
 cor deriuetur. Amores multi obstruendi, *ad Virg.*  
 vt ad vnum confluat. Certè animam suam,  
 S. Augustinus alloquitur. Iam ergo diu oc- *Aug. in*  
 cupata vixisti, & desideriorum diuersitate. *Pf. 145.*  
 verberata portas plagas, sauciata, diuisa  
 per amores multos, vbique inquieta, nul-  
 quam secura. Anima mea (inquit Pro- *Isai. 26.*  
 pheta) desiderauit te in nocte, sed & spiri-  
 tum meo in præcordijs meis de mane vigi-  
 labo ad te. Audis animam, & spiritum, id  
 est, superiorem mentis portionē etiam in  
 nocte, & tenebris Deum desiderare, & spi-  
 ritum in præcordijs ad illū vigilare. Quid  
 non expergisceris, o anima mea, quærere  
 in toto corde Deum tuum? quem vtique  
 quærere non lassaberis, sed assidentem  
 forti-



*Sap. 6.*

foribus tuis inuenies illum : inquisitione

*Apoc. 3.*

lætaberis, qualicunque inuentione, quan-

*Ioan. 4.*

tum sat est in hac vita, etiam summis labijs libando reficieris, donec ad plenitudinẽ fontis admiffa inde toto pectore haurias vnde nusquam fitias, perpetuò inebrieris, in æternum viuas : quia ipse est fons vitæ, &amp; sempiterni luminis.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.

**V**Ox hebræa non modò iniquitatem significat, sed etiam peruersionem, fraudem, stultitiam : quæ rectissimè quadrant in eos, qui viam Domini derelinquunt. Dicuntur autem, qui iniquitatem sectantur, non ambulare in vijs Domini : quod perinde est, ac si dicas, Iniquitas iustitia esse non potest, nec retortuositas rectitudo. Ex quo etiam latenter indicatur, quoniam beatos dixerat eos, qui ambulant in lege Domini illos è contrario, qui iniquitatem operantes in vijs eius non ambulant, omnino miseros esse. Quorum miseria eo magis miseranda est, quod cum peruersitatis indiuidua sit comes miseria, isti peruersi non solum mali esse volunt, & miseri nolunt, quod fieri non potest, sed ideo volūt mali esse, ne miseri sint. Via autem hæc impiorum, quam Scripturæ tenebrosam vocant, spinarū, & fouearum plenam, à iustorum semitis, quæ quasi lux

*Miseri, qui peccant.**S. Aug. in Psal. 32. Via peccatorum qualis.**Prov. 4.*

splende

splende  
mino c  
bras, &  
nam la  
tur. Nat  
cordis,  
piens lo  
deatur (  
in fine t  
tenebræ  
tus viæ v  
quas dif  
antur pu  
Qui poss  
& lucern  
sus virtu  
lata via p  
est.) Im  
in macu  
illius lac  
cilis ped  
ficultatib  
tis ad in  
magis e  
Et exard  
que exi  
quæ ibi  
libi. La  
est incor  
minabil  
fiens.) M  
ambulet



splendent, & via differt, & termino. Termino quidem, quia hæc in luctus, tenebras, & mortem definit; illa verò ad æternam lætitiã, lucem, vitamque terminatur. Nam etsi via impiorum præ cœcitate cordis, & affectus peruersitate ipsis, vt Sapiens loquitur, complanata lapidibus videatur (id est, strata, atque percommoda) *Eccles. 21.* in fine tamen illorum, inquit, inferi, & tenebræ, & pœnæ. Vides quam dispar exitus viae vtriusque. Sed & in hac ipsa via, quas difficultates, quas miserias experiantur pulcherrimè apud Iob describitur. *Iob. 18.* Qui postquam dixit de extinctione ignis, & lucernæ impij, subdit. Arctabuntur gressus virtutis eius (qui scilicet fortem se, & in lata via præsumebat ambulare, sed parum est.) Immisit, inquit, in rete pedes suos & in maculis eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo (siquidem ab ipsis retis maculis pedem abstrahere nequit, sed de difficultatibus in difficultates, de impedimentis ad impedimenta properat, & quo se magis expedire putat, grauius illigatur.) Et exardescet contra eum sitis (quam utique extinguere nequit.) Videnda reliqua, quæ ibi graphicè Scriptura depingit. Et a *c. 24.* libi. Leuis est, ait, super faciem aquæ, (id est, inconstans, & fluidus, alieno facilè terminabilis, nullo proprio termino consistens.) Maledicta sit pars eius in terra: nec nearum ambulet per viam vinearum: Non est hæc quæ.

via



*Marc. 9.*

via vinearum cursim præcurrentia. Bonum est nos hic esse. Via vinearum iustis longitudine recta est, latitudine delectabilis, decursibus aquarum irrigua, viriditate grata, florum varietate arridens, pinguis botris foecunda, oliuarum copia curuescens, fructuum vbertate ditissima. Quod idem est, ac si dicas, rectitudine, patientia, & longanimitate insignis, caritatis, & securitatis ope latissima, gratiarum celestium irrigatione, sanctæ spei perpetua possessione virescens, virtutum floribus, & orationibus vernans, botris lætitiæ spiritualis inebrians, misericordiæ viscibus pinguescens, bonorum operum fructibus affluens: denique de pomis cæli, de pomis fructuum solis, & lunæ (inde enim fructus, inde poma, quæ Dilecto vetera feruantur, & noua, id est, subinde nascentia) continua vbertate foecunda. At contra, eorum, qui operantur iniquitatem, breuis, & tortuosa, angustia intolerabilis, ariditate sticulosa, siccitate squalida, spinis, ac sentibus horrida, perpetua sterilitate marcidua nulla spiritali vnctione hilaris, fructuum inopia pauperrima, solius egestatis abundans, & diues: vno verbo, ijs omnibus diuitijs, & delicijs carens, quæ de ambulans in vijs Domini, indeque beatis breuiter perstricta sunt. Non est proinde illis ambulare per viam vinearum. Quomodo enim id possint quibus, vt stultis-

*Deut. 33.**Cant. 7.*

simis, i  
nea, vb  
tum vfr  
& tribu  
ibi vitis  
non vin

4 Tu m  
nim

ET ni  
mis c  
telligi p  
autem tu  
ferio ini  
custodiri  
Sive cum  
fi, vt pa  
tatoribus  
principa  
miciliu  
lis atern  
minibus  
disperdit  
gnum u  
Sive cum  
erat, ma  
exempla  
non cont  
minum  
ita punie  
propter  
stirpe lab



simis, nec vinea est? Quomodo enim vinea, vbi nihil plantatum, nihil elaboratum vsquam paret? Tota spinis syluescit, & tribulis stulti vita, & vinea est? Non est vbi vitis virtutis, non botrus boni operis, non vinum lætitiæ spiritualis.

¶ Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

ET nimis mandasti, & mandasti, vt nimis custodirentur. Vtrumque enim intelligi potest, & vtrūque verum est. Quod autem tu mandaueris nimis, id est, valde serio iniunxeris, & volueris valde exactè custodiri, ex multis facile colligi potest. Siue cum transgressionem grauitè punisti, vt patet in Angelis, primis cæli habitatoribus: quos, cum non seruassent suum principatum, sed dereliquissent suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine referuasti. Et in hominibus, quos cum terra aquis diluuij disperdisti, tametsi per contemptibile lignum iustum misericorditer gubernasti. Siue cum ob id, quod in se malum non erat, malum tamen ob transgressionem, exempla tuæ iustitiæ edidisti. Quis enim non contremiscat, cum videat primum hominum parentem ob solum pomi esum ita punitum, vt paradiso eiectus, & terra propter ipsum maledicta, cum vniuersa illic laboribus, doloribus, & morti addi-

ctus.

*Bernard.  
ser. 63. in  
Cant.*

*Quam serio māda-  
rit Deus  
custodiri  
mādata.*

*Apparet  
primò ex  
pœna An-  
gelorum.  
Apoc. 12.  
20.*

*Iudæ. 1.  
Secundò,  
ex dilu-  
uio.*

*Gen. 7.  
Sap. 10.*

*Tertiò, ex  
pœna rei  
non male-  
nisi ob  
transgres-  
sionem.*

*Gen. 3.*



Etus sit? Cum tamen lignum, quod ipse  
 plantaueras, bonum fuisse non dubium  
 sit, sed contra præceptum legis tuæ præ-  
 sumptum exitium fuit, quia pura, & sim-  
 plex obedientia commendata est in præ-  
 cepto. Quæ virtus mater quædam est om-  
 nium, custosque virtutum in creatura  
 rationali, quandoquidem sic facta est, ut ei  
 bonum sit subditam esse, perniciosum au-  
 tē suam, non eius à quo condita est, facere  
 voluntatem. Scientia quippe, & contem-  
 platio, ait Nazianzenus, bona est tempe-  
 stiue percepta, sed contra obedientiam, &  
 mandatorum obseruationem inordinate  
 præsumitur. Siue cum ea, quæ parua vi-  
 dentur, & leuia non leuiter castigasti. Ec-  
 ce Saul, quia sacerdotem, te consulens, non  
 expectauit, audiuit à Propheta, Stulte egre-  
 sisti, nec custodisti mandata Domini Do-  
 mui, quæ præcepit tibi. Sed nequaquam re-  
 gnium tuum ultra consurget. Et, cum po-  
 pulus contra præceptum tuum prædā  
 diripuisset, audiuit secundò. Pro eo, quod  
 abiecisti sermonem Domini, abiecit te  
 Dominus ne sis Rex. Siue cum ea, quæ  
 apud homines nullam mali speciem habe-  
 re videntur, tuo iudicio reprobas, ac po-  
 nis. Quis enim tantam cladem timere po-  
 tuisset ex numeratione populi, quanta re-  
 vera subsequuta est? Siue cum peccata con-  
 tra legem tuam admissa, etiam postquam  
 remissa sunt, ita seuerè diiudicas. Audierat  
 certe

*Aug. de  
 Ciu. l. 13.  
 c. 20.*

*Ora. 2. in  
 Pascha.*

*Quartò,  
 & culpa-  
 rum, quæ  
 leues vi-  
 dentur.*

*1 Reg. 13*

*1. Reg 15,*

*Quintò,  
 & remis-  
 sarum.*



certè idem Dauid, Dominus transtulit à te  
 peccatum tuum, & tamen à proprio filio  
 sub oculis solis huius dehonestatus tan- *2. Reg. 12.*  
 tum non regno, & vita priuatus Rex for-  
 tissimus, & multis insignis victoriis, quasi *2. Reg. 16.*  
 timidus, & spoliatus fugere cogitur: vbi  
 nec vilissimi hominis puluerem, & lapi-  
 dem spargentis in eum contumelias ef-  
 fugere potuit, & opprobria. Quod ille hu- *Sextò, &*  
 militer agnoscens, Dominus, inquit, præ- *negligen-*  
 cepit, vt malediceret. Siue cum negligen- *tia, vel*  
 tia, aut ignorantia peccamus. Nam Heli *ignoran-*  
 sacerdotis pœnam, quod corripere filios *tia.*  
 neglexisset, audiuimus, & horremus. Et *1. Reg. 2.*  
 pro peccato, quod ex ignorantia admitti-  
 tur, qui tam multiplex ad expiandum ritus  
 iniungitur, de vitulo, de impositione  
 manuum super caput eius, de sanguine, de  
 septemplici aspersione, quam lucidè indi-  
 cat, nimis mandata tua custodienda? Sed *Leu. 4.*  
 cuius non aures tinniant, & quidem am-  
 be, cum audierit Mosem dilectum tuum, *Exod. 33.*  
 quem ex nomine, & præ omnibus noue-  
 ras, tam durè increpatum, tam acerbè pu-  
 nitum pro eo, in quo humanus oculus ne *Deut. 32.*  
 culpam quidem intueri valet? Quia præ- *34.*  
 uaricati estis in medio filiorum Israel ad  
 aquas contradictionis, videbis terram, &  
 non ingredieris in eam; & ascendens in  
 montem Hebo mortuus est. Quis credat?  
 Quis non contremiscat? Perpende Mo-  
 sem, labores in populo deducendo, carita-  
 tem



*Psal. 35.*

tem & mansuetudinem in rebelles, familiaritatem cum Deo; & tamen audit. Non intrabis in terram, ascende in montem, & morere. O iudicia tua abyssus multa. Non dicat homo, quare hoc? aut quid hoc? non dicat, non dicat: homo est. Dicat potius, & oret, ut opere compleat, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Quod si diligenter intueatur, quæ in lege tradenda veteri prodigia, & terribilia adhibueris, quot, & quam horrenda maledicta in eos qui violarent, addideris; multo autem profundius, ac mente deuotissima consideret quomodo ad legem tradendam notuam non Moysen in montem seuocaris, sed ipse de caelo descenderis, & quid à te ipso laboratum, quid toleratum, quid impensum, & superimpensum, ut ea sanciretur, & commendaretur hominibus, non poterit non cum stupore clamare, vere nimis mandasti mandata tua custodiri nimis.

Custodienda valde mandata.

Primo, ob maiestatem legislatoris.

*Psal. 18.*

Sed quare id vel nimis mandet, ut fiat, ut fiat nimis, non vna causa est. Primum enim nimis mandat custodiri, quia maiestas legislatoris id exigit. Non enim qui Dominus est, & tantæ autoritatis eminentia, ei perquam merito obtemperandum est; cum præsertim & sanctitas præceptorum, & iudiciorum; quæ iustificati sunt in semetipsa, & rectitudo, atque splendor id suadeat. Nec laborandum an vna



hæc sit ex causis, cum Scriptura dicat. Vt *Exod. 20.*  
 probaret vos venit Deus, & vt terror eius  
 esset in vobis, & non peccaretis. Quor-  
 sum enim accensibilis ignis, & mons fu-  
 migans? Quorsum lampades, & tonitrua,  
 & fulgura, & voces, & sonitus tubæ, & tam  
 multa terribilia, propter quæ Moyses ipse,  
 teste Apostolo ad Hebræos, dixit: Exterri- *Heb. 12.*  
 tus sum, & tremebundus. Quorsum, in-  
 quam, nisi vt animos hominum, ad reue-  
 rentiam, & obedientiam tantæ Maiestatî  
 exhibendam permouerent? Denique ad  
 hoc ipsum hortans populum ipse dixisti:  
 Vos vidistis, quæ de cælo, locutus sim vo- *Exod. 20.*  
 bis. Nimis ergo custodienda sunt, quæ tan-  
 tus præcipit legislator.

Deinde, quia mundi sunt oculi tui, ne *Secundò,*  
 videant malum: & ad iniquitatem respi- *ob odium*  
 cere non poteris. Quomodo itaque præ- *Dei con-*  
 sentissimus omnibus, illorum scrutans re- *tra pec-*  
 nes, & corda rectis oculis aspicere poteris *cata.*  
 iniquos, cum odio sit impius, & impietas *Apoc. 2.*  
 eius? Rectè ergo quoniam præcepta tua *Sap. 14.*  
 repellentes odisti, mandasti mandata tua  
 custodiri nimis. Quis enim in regno suo,  
 & in domo sua, si munditiam diligit, im-  
 munda, & fœda tolerabit? Ita cum ex  
 legis obseruatione munditia in corde fiat,  
 mandasti præcepta tua custodiri nimis,  
 per quæ mundum cor in filijs Adæ etiam *Psal. 50.*  
 creatur, & spiritus rectus adhuc in carne  
 mortali innouatur, vt coram te non in-  
 dignus



dignus appareat. Quod si etiam tam multa peccata, quæ in oculis tuis fiunt, indefessa longanimitate sustentas, non ex minore iniquitatis odio, aut obscura fedditatis notitia prouenit, sed ex abundantia pietatis, vt cum acceperis tempus, & lumen, ac vires addideris, facias per mandatorum obseruationem tales, quos non modo non auersari, sed benignè etiam aspiciere possis.

Tertiò, ad reformandam in animis diuinam similitudinem.

Tum etiam, quia regiam illam imaginem, quam ipse pulcherrimam condidisti, & reformare satagis, & venustare. At qui mandatorum neglectu, & transgressione fuscatur pessimè, & quasi piceo quadam colore denigratur. Dignum itaque est, vt superna illustratione, cœlestique fulgore per mandatorum obseruationem tibi similis iterum splendeat, atque in se (ô sublimitatem ambiendam!) tuam ineffabilem pulchritudinem representet, vt audiat de se loquentes. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, quæ est ista, quæ in tam vili speculo diuinæ formositatis speciem exprimit? cui dicere possis, Concupiscet Rex decorem tuum.

Cant. 3.

Psal. 44.

Quartò, quia simul cum præceptis ipse dat gratiam.

Mandas præterea nimis, quia si præcepta cumulas, gratiam exhibes: & iustas præcepto, qui præcurris auxilio, vt si tibi seruire nos diligenter imperas, quæ si tuis id sumptibus fiat. Cur ergo non mandes custodiri valde, qui valde subueniunt.



nis? Quasi verò graua mandata sint, quæ gratia leuat: aut onus molestè sentiat, quod iugum super maxillas exaltans ipse subleuas, ipse portas. Augent etiam fiduciam nostram tot dona charismatum, tot munera gratiarum, quæ Ecclesiæ tuæ filiis, & in legē tua die, ac nocte meditantibus exhibuisti. Aperitur enim nobis ex ea parte, qua lucem tuam intendimus, si attentè perspiciamus, gratiæ tuæ sublimitas suavissimè hilaris, & dulcissimè blandiens, extendens ad nos suscipiendos, amplectendosque piis manibus plenas gregibus bonorum exemplorum, dum pueri, atque puellæ teneros annos prætergredientes, non solum mandata, & iudicia tua seruauerunt, sed etiam cõsilia amplexi sunt: quin etiam usque ad sanguinem, & immanissimos cruciatus immobiles ad extremum vitæ spiritum adhæserunt tibi. Quis non ergo inconcusso animo mandata custodiat, quando ipse in nobis & pugnas, & vincis? & luctam cum carne considerans hortaris, vt pugnemus: adiuuas vt vincamus: certantes inspectans, deficientes subleuas, vincentes coronans?

Huc accedit nobilitas finis. Nam quo perfectiora, & sublimiora sunt opera, eo instrumenta requirunt subtiliora, & illorum usum diligentiorē, atque aptiorem: vt, si egregia imago formanda sit ex ligno, vel lapide, scalpella, & alia ferramenta: si in

L lamina

*Osee I.*

*Psal. I.*

*Aug. Cõf. l. 8. c. 11*

*Quintò, ob præstantiam finis.*



*in Apol.*

lamina aenea incidenda, tenuissimus stylus: si exprimenda coloribus, pennicillus idoneus curetur: eadēque ratione in alijs. Denique vt artificis consilio, finique operis, & oculorum acies, & firma intentio, & instrumenta respondeant. Atque finis huius doctrinae, teste Greg. Nazianzeno, ille sublimissimus est, animae pēnas aptare, eamque à mundo abreptam Deo offerre, diuinæque imaginis dignitatem vel integram, atque incolumem conseruare, vel periclitantem fulcire, vel dilapsam pristino splēdori restituere, Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere; ei que, vt in summa dicam, quae superno ordini se se adiunxerit, diuinitatis supernamque beatitudinem afferre. Huc magistra lex tendit, huc Prophetae inter Christum, & legem interiecti, huc spirituales legis absolutor, & finis Christus. Quae cum sublimia sint, & excelsa, miramur, & artifex ipse Deus tam multa, tam sublimia edidit instrumenta? &, si à nobis, qui cooperatores sumus in hoc opere, multam diligentiam, & singularem attentionem exigit? Ac si nobis apertè dicat, Vide quae operis habeas: vide qualibus adminiculis, & quomodo utaris, vt semper contra mallei sonitum reformidans, vigilia tua opus ad perfectum expolias. Audi enim quam diligentiam in terrenis operibus



seculi ponant opifices. Sic omnis faber, & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpsit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedens iuxta incidem, & considerans opus ferri, vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur: vox mallei innouat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus eius. Cor suum dabit in consumptionem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem. Quod si tantum laboris, ac studij in vilissimis hisce operibus sumitur, quid assumendum ad expoliendam in nobis imaginem Dei? Sanè tam subtiliter curam illam descripsisse videtur Sapiens, vt quomodo alibi piger ad formicam mittitur, ita veræ sapientiæ profectores ad infimarum huiusmodi artium sapientes, velut ad Magistros & curæ, & vigiliæ mitteret.

Præterea, quod dulcissimum est medicari, & sanctæ spei seminarium, non ideo præcepta coaceruat, vt nos premat, aut minus faciat spontaneos; sed ex ingenti, quo erga nos tenetur amore, & voluntate sua donâ liberalius conferendi. Quia enim largè effluere diuinorum flumina donorû minimè possunt, vbi puritas deest mentis: puritas autem sine præceptis, quæ dirigant, & à terrenis abstrahant, acquiri

Sextò, vt  
capacio-  
res effi-  
ciamur  
eius libe-  
ralitatis.



non potest: idcirco mentis puritatem studiosè procurans, præceptorum adhibet ad-iumenta, quibus mansuefacti, & humilio-res redditi, capaciores efficiamur. Aqua enim de collibus defluit, in valles confluit: ita thesaurus donorum, & gratiarum non nisi in humili mente quiescit. Vera autem

**Humili-  
tas vallis  
benedi-  
ctionis.  
2. Paral.  
20.**

obedientia non est nisi humilium. Quispe humilitas verè vallis benedictionis ap-pellatur: in qua post victoriam & benedi-citur Deus in laudibus, & ipse vicissim coronæ benignitatis suæ benedicit. Scri-ptura refert, vbi populus insigni parta vi-ctoria, Domino potius de caelo pugnante, quam ipso terrenis armis præliante, ad hostium spolia conquirenda conflueret, in valle benedictionis substituisse, quia ibi Do-mino benedixerunt, qui victoriam tribue-rat. Ergo si in conflictu carnis, & spiritus victoriam exoptamus, adiutorium nostrum in eius nomine reponentes, ad vallem be-nedictionis concurramus. Nam si habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur, vt Scri-ptura in Iob loquitur, haud dubium, quum

**Iob 28.**

in humilitate, qua Deo placemus, & terrenis abstrahimur, argenti venæ sint, & auri. Infinitus enim thesaurus est hominibus observatio mandatorum Dei. Cura enim disciplinæ dilectio est, & dilectio cus-todia legum illius. Quis autem dilectio-nem Dei vacua sibi pertuasionem promittat

**Sap. 6.**



qui ab eius obedientia, & amore deflectat? 2. *Par. 20.*

Sic enim & Iosaphat victor extitit, cum cantores Domini constituit, qui voce consona laudarent Dominum, atque dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.

*Septimò,*  
ob præ-  
mij alti-  
tudinem.

Postremò ob magnitudinem coronæ, quæ præcepta seruantibus repromittitur. Non enim, vt olim fideli Abrahæ propter obedientiæ meritum, & vnici filij destinatum animo sacrificium; & quod in se fuerat, exhibitum, aut posterorum multitudo, aut repromissionis terra promittitur: sed quod oculus non vidit, nec auris audiuit, *1. Cor. 2.* nec in cor hominis ascendit, in fine reddendum, sine fine mansurum. Felicitatis *Psal. 89:* enim illius nequaquam anni sunt, qui pro *Psal. 101.* nihilo habentur; neque dies sunt, qui sicut vmbra declinauerunt; sed dies sunt nulla varietate mutabiles, nullo termino terminandi. Quare, si verè voluntus affirmare, & rectè iudicare, Aeterna requies æterno labore esset emenda. Hic autem labor noster exiguus est, breuis est, & quasi vnus diei, etiam si tota vita laboremus. Non *Galat. 5.* deest quidem labor, carne aduersus spiritum concupiscente, dum renuntiamus carnis operibus; & carnem nostram, quo verè simus Christi, id est, de Christi simus parte, & nos ipse possideat. timoris, & amoris illius casti clauis crucifigimus. Sed quantum est hoc ad illius vitæ perfectam beati-

L 3 tudinem?



tudinem? in qua & mensura est sine mensura, & terminus sine termino, & satietas sine indigentia, vel fastidio; & pax, quæ nulla turbatione interpoletur; & lux quam nulla nubes obnubilet; & salus, quam nulla infirmitas intercيدات; & denique vita, quam nulla mors auferat, sed omnium bonorum perpetua lætitia cumulet. Cesset ergo vel maligna obmurmuratio, vel inficiens admiratio, si talia præparans talia præcipit, vt mandata eius custodiantur nimis.

§ Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.

**V**Ox hebræa, vnde versum est dirigantur, significat simul præparare, disponere, firmare. Hæc autem omnia necessaria sunt in via Domini, vt rectè quis ambulet. *Ephes. 2.* Nam & Apostolus ait. Quæ præparauit Deus (id est bona opera) vt in illis ambulemus: & Psalmista orat. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Et alibi. A Domino, vel Apud Dominum (vt nostra habet editio) gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: id est, opera grata habebit: & complacbit sibi, ac delectabitur in illis. Accipiuntur autem gressus pro itinere, & ratione viuendi. Non enim iste, vt multi, qui vias difficiles sectantur, & lassantur in via iniquitatis, finem vult, media nõ vult, sed

*Ephes. 2.*

*Psal. 16.*

*Psal. 36.*

*Sap. 5.*



sed cupit recto itinere viam mandatorum  
 eius sic currere, vt & in hac vita, eo quo di-  
 ctum est modo, sit beatus, & ad brauium  
 valeat peruenire. Cupit autem dirigi vias,  
 id est, rectas fieri, ne ad dexteram decli-  
 nans, aut sinistram à recto calle delectat. *Necessi-  
 tas dire-  
 ctionis  
 Dei.*  
 Quam id autē pro nostra fragilitate pro-  
 cliue factu sit, & à natura ipsa languida  
 ostendit, & multitudo abstrahentium per-  
 suadet, & experientia ipsa plus nimio ma-  
 nifestat. Quam enim multi, qui rectē cur-  
 rere cœperant, à fascinatione nugacitatis, *Sap. 4.*  
 & inconstantia concupiscentiæ abrepti à  
 recto itinere deflexerunt? Porro optantis  
 vox est, Vtinam. Nec verò leuiter, sed om-  
 nino ardēter optat ad Dominum pergere,  
 ad quem totis visceribus anhelat propter  
 illas omnes rationes, ob quas præcedenti  
 versiculo diximus Dominum mandasse,  
 vt mandata custodirentur nimis. Verunta-  
 men, bone Domine, si res ista in volun-  
 tate, & potestate currētis est, quid opus est  
 optare? quid à te petere? cum ea, quæ in po-  
 testate nostra sunt pro arbitrio operemur? *Qui non  
 solum di-  
 rigit, sed  
 etiā por-  
 tat nos.*  
 Hic autem petit, & orat, & optat, vt di-  
 rigantur à te vię illius. Nimirum pericula  
 carnis infirmitates cogitabat: *Isa. 46.*  
 quę cum animaduertuntur, vnum superest,  
 vt ad te confugiamus, qui ponas in via  
 gressus nostros; &, sicut pollicitus es, ipse  
 nos portes. Ego feci, inquis, & ego feram,  
 portabo, & saluabo. Nec vtcumque por-  
 tabis,



*Exod. 19.* rabis, sed sperantes, amantesque, vt de populo quondam tuo dixeris: super alas portabis Aquilarum, vt non modo veloci cursumus, sed nec fatigemur, nec lassemur: nec in terra hac peregrinationis, & valle lacrymarum semita in pedibus nostris appareat. O felices, ô ter felices, quos super alas Aquilarum, & pennas tuæ vocationis, tuæque virtutis portas: vt iure optimo, qui talia cogitat, optet, atque suspiret, Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

6 Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

*Perspicere hic significat etiam effectum operis.* Merito non confunditur, qui perspexit in mandata Dei. Sunt qui vocem græcam, ἐπιβλέπειν, putent significare non quemcunque aspectum, sed diligenter inuestigantem, & perscrutantem. Sic enim mandata Dei inspicienda sunt. Et fortasse illud Apostoli Iacobi. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, præsentem etiam locum explicat: subdit enim. Non auditur obliuiosus factus, sed factor operis. Quare & hic perspicere non erit nudus aspectus, sed indicat nobis non oportere præceptorum Dei inspectores obliuiosos, & desidēs esse, sed ad operis executionem renes esse accingendos: vt succincti lumbos in veritate, cum baculo constantiæ, & fidei, nudis à fæce terreno-

*Ephes. 6.*

ΓΙΙΙ



num pedibus ad repromissam terram festinanter properemus. Sed & Hebraica vox quæ & aspicere, & accuratè intendere significat, ac diligenti ad eam rem conatu contendere, indicat nudum aspectum non esse. Et ex eadem radice deriuantur voces, quas interdum spem, interdum fiduciam interpretamur: vt sit sensus. Acutam mandatorum inspectionem eam esse debere, eoquetandem dirigendam, vt cum spe, & fiducia ad actionem velocissimè progrediamur. Alioqui similitudo illa eiusdem Apostoli de viro considerante vultum naturitatis suæ in speculo, statimque, vbi oculos auerterit, obliuiscente omnia, optimè in nos quadrabit. Si autem, vt oportet, aciem in ea intenderimus, merito sperare poterimus non esse nos confundendos. Tunc, inquit, non confundar, cum perspexero. Nam qui auerterit se à mandatis Dei, multiplicitate confusionis confundatur necesse est.

Primum, confundetur confusione illa magna, & horribili; quando celis magno impetu transeuntibus, caelorumque virtutibus commotis, Iustisque in memoria æterna reseruatis, & non timentibus ab auditione mala, ipsis Angelis testibus, atque hominibus, cuncta creatura contremiscent, in opprobrium æternum, & confusionem interminabilem detrudentur. Cum ignis, & sulphur, & spiritus procellarum

Exod. 12.

Iac. 13.

Qui auer-

titur a mā-

datis cō-

funditur.

Primo cō-

fusione

æternæ:

damna-

tionis.

Cum 2. Pet. 3.

Luc. 21. 6.

I. 5. pars



*Pfal.* 10. *Iob.* 20. *Secundò*  
 repulsarū  
 precum.  
*a. Reg.* 2.

paracalici eorum fiet. Hæc est enim pars  
 hominis impij, & qui procul à lege Dei  
 sui tam impudenter illectus est, & abstra-  
 ctus.

*Pfal.* 33.  
*Pfal.* 30.  
*Pfal.* 66.  
*Pfal.* 4.  
*Pfal.* 144.

Secundò, significat interdum confusio  
 in Scripturis ruborem illum, & verecun-  
 diam, quã ex negata sibi petitione aliquis  
 incurrit: vnde dicitur. Petitionem vnam  
 postulo à te, ne confundas faciem meam.  
 Et Psalmographus ait. Accedite ad eum, &  
 illuminamini, & facies vestræ non confun-  
 dentur. Tanquam dicat, qui per obseruan-  
 tiam mandatorum recto corde ad Deum  
 accedunt, benevolentia, & splendore vultus  
 illius, grataque petitionum auditione  
 recipiuntur. Hoc est enim illuminatio eo-  
 rum, sicut illis, Illustra faciem tuam super  
 seruum tuum. Illumina vultum tuum super  
 nos. Signatum est super nos lumen  
 vultus tui Domine. Quoniam ergo Domi-  
 nus, qui voluntatem timentium se facit,  
 & deprecationem eorum audit, preces eo-  
 rum, vtpotè ab obedientia deductas, atque  
 ab amore, & spe dictatas clementer exau-  
 dit, rectè gloriatur Propheta, vbi legem  
 Domini perspexerit, futurum, vt non con-  
 fundatur. Quid enim neget Dominus fontem  
 misericordiarum ei, qui sibi se non negat.  
 Curandum itaque diligenter, si exaudiri  
 volumus, vt munditiam cordis conquiren-  
 tes, petamus, quæramus, pulsemus, vt acci-  
 piamus, vt inueniamus, vt sine hæsitatio-



ne aperiatur nobis.

Sumitur tertio confusio pro iniuria aliqua, & dehonestatione: quomodo per Ezechielem Dominus dicit. Eras nuda, & confusione plena, Quid enim æquè confusione parit, atque nuditas, & contemptus? Qui autem præcepta Dei euacuat, iustitiæ lumine, & virtutum indumento nudatur. Quod contra per B. Ioannem dicitur. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Scimus autem, & Nuntijs Dauid quos ad Hanon Regem filiorum Ammon miserat, nihil ignominiosius accidisse, nihil magis confusione plenum, quam vt vestes præcinderentur, & illæ partes apparerent, quæ & ob confusionem teguntur, & sine confusione cerni non possunt. Quod Dauid indignissimè ferens, bellum atrocissimum contra eum mouit. Sed, ô deplorandam miseriam nostram. Illi enim id ab alienigena, & per vim passusunt, quod nos vltro, si à diuinis mandatis desciscimus, turpissimè nobis inferimus. Et sanè perpendendum valde est, quod de filijs Israel mandata transgrediētibus Scriptura diuina loquitur. Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudam constituerat.) Quid est enim populum fuisse nudatum, nisi peculiari Dei protectione spoliatum fuisse, quæ eos & tegebat, & ornabat? Quid

L 6 est

Tertio  
ignomi-  
niose tra-  
stationis.  
Exec. 16.

Apoc. 16.

2, Reg. 10.

Exod. 32.



est propter ignominiam sordis, nisi nihil esse ignominiosius, nihil sordidum magis, quam hac Dei veste nudari? Additur ad hæc etiam nudum inter hostes constitutum fuisse, fortasse quod in nuditate iustitiæ, & rectitudinis, quibus spoliati, induti sunt

sal. 108.

quasi diploide confusione sua; & in medio hostium nudi, sine peculiari iustorum protectione derelicti. Vide quid faciat reliquisse Dominum, reliquisse mandata.

Est & confusio bona ex inspectione legis.

Sed prætereundum non est diuinæ legis inspectionem tum confusionem auertere, sicut dictum est, tum confusionem adducere. Auertit malam, adducit bonam. Nam

& non confunditur malis confusionibus dictis, qui præcepta diligenter scrutatur: & idem confusione bona confunditur. Quis enim non vehementer confundatur, si in speculo diuinorum præceptorum faciem anime sue diligenter intueatur? Videt enim in multis se offendere, & propter exactam illorum sinceritatem, & propter multiplices suos nauos. Tam multa sunt, tamque subtilia, in quibus peccamus, ut valde cæcus, & audax sit, qui sibi perfectam puritatem arrogare audeat. In multis offendimus omnes; & delicta quis intelligit? Var-

Ias. 3.  
Psal. 18.  
Moral. 1.  
2. c. 1.

de B. Gregorius. Scriptura, inquit, sacra mentis oculis, quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum pro-



proficimus, ibi à profectu quam longè distamus. O Domine, Domine da nobis in *Psal. 35.* lumine tuo videre lumen, fœda nostra cōspicere, vt abstergamus: humilitatem nostram agnoscere, ne altè sapere audeamus. Da nobis confusionem adducentem gratiam, & gloriam. Da nitrum, & aquas *Rom. 12.* *Ier. 2.* sillonis ad maculas repurgandas. Ipse enim fons, ipse lotor es. Tē lauante, te custodiente non confundemur, cum loquemur inimicis nostris in porta. *Psal. 126.*

7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.

Confitebor tibi, & gratias agam in directione cordis, id est, pro ipsa directione, qua vias meas, studia mea, & voluntates meas direxisti, docens me iustificationes tuas. Quod cum maximum sit beneficium, æquissimum est, vt de eo tibi gratias agam, & confitear nomini tuo. Vel in directione cordis, id est, corde recto, integro, atque perfecto. Super hac misericordia tua, & veritate tua confitebor tibi. Neque enim potest quis pronuntiare vtcumque dignè laudes tuas, nisi recto, & simplici fuerit corde. Sed siue hoc, siue illo modo intelligam, ob id gratias agam, quoniam didici iudicia iustitiæ tuæ, vt doctus, & auctus fierem præceptis tuis: id enim vox illa, didici, hoc loco significat. O qualis ar-



tifex est, Domine, Spiritus tuus, qualis doctor! in omne, quod voluerit, mentem docet; solumque tetigisse docuisse est: cum aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, vt auertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de superbia, eruens animam eius à corruptione. Merito ergo gratias ago, quod tanto doctore didicerim testimonia tua.

*Iob 3.*

Perfecta doctrina etiam afficit.

Non puto autem de ea doctrina dici, quæ pura, & nuda cognitio est, quæ docet, sed non afficit: instruit, sed non promouet. Nam moralis doctrina nequaquam in cognitione sola consistit; neque hoc est didicisse, vt oportet, legem Domini. Vinum, v. g. non perfecte didicit, qui colorem tantum aspicit, cum flauescit in vitros; sed nec ille, qui eius odore delectatus trahitur. Cum enim tria sint color, odor, & sapor, quis vinum perfecte cum nosse affirmet, qui saporem illius ignoret? Ergo & vinum testimoniorum diuinorum non planè didicit, qui eorum saporem non degustarit. Sic ergo accipiamus vinum

*Eccl. 19.*

non apostatare faciens à Deo, sed agglutinans illi: non sensum mentis euertens, sed castè inebrians: vinum scilicet electorum,

*Ephes. 5.*

non in quo luxuria est, sed germi-  
nans Virgines. Cæleste hoc vinum quis se ractet didicisse, nisi perfectiones, quæ in ipso sunt, sapienter intellexerit? Nam &

*3. Reg. 19.*

Elias mirabili illa visione in spelunca preuentus



uentus spiritu grandi & forti, subuertente  
 montes, & conterente petras, non ibi Do-  
 minum degustauit. Vidit quippe quod ter-  
 reret, vidit quod reuerentiam incuteret,  
 quod faciunt Dei praecepta cognita, sed  
 nondum experientiae magisterio degusta-  
 ta. Sed nec in igne Dominus, cum scilicet  
 infirma, & carnalia nostra comburit, dum  
 ei in timore, & reuerentia seruiamus, quo-  
 niam ignis consumens est, sed in sibilo au-  
 re tenuis. Ibi enim, & mandatorum ma-  
 iestas, quae ante terruit; & ignis, qui fo-  
 num, stipulamque combussit, in sibilum  
 aurae tenuis, dulcedinem scilicet, & suauitatem  
 mandatorum conuertitur, ut sapiat  
 ipsum Legislatorem. Etenim quemadmo-  
 dum vinum vini saporem, & cibaria quae-  
 que suum proprium exhibent, ita manda-  
 ta diuina saporem habent Dei. Non ita-  
 que immerito gratias agit, qui non solum  
 illuminatus est, ut intelligeret, permotus  
 ut faceret; sed etiam affectus est, ut man-  
 data Dei percepto eius sapore diligeret:  
 quod verè didicisse est. Vnde & Beatus  
 Gregorius diligenter aduertit, Discipulos,  
 qui cum Domino in Emmaus pergebant  
 tam multiplici ipsius Saluatoris doctrina  
 minimè illuminatos fuisse, ut eum agno-  
 scerent. ( Non enim auditores legis tantum  
 illuminantur ) sed faciendo, dum scilicet  
 hospitium ex caritate exhibent, illumina-  
 tos esse. Nec mihi ab hac doctrina dissen-  
 sisse

Deut. 2.

1. Cor. 12.

Non au-  
 diendo  
 tantum,  
 sed simul  
 agendo o-  
 culi ani-  
 mae illu-  
 minan-  
 tur.

Luc. 24.



Iob' 4.

siſſe Spiritus ſanctus videtur, dum Eliphaz  
Themaites de longa viſione diſputans,  
tria etiam in hac Dei notitia notat, nimi-  
rum pauorem, & tremorem omnia oſſa  
perterrefacientem: deinde horrorem pilo-  
rum carnis ſuæ: tertio vocem quandam  
quaſi auræ lenis. In quorum primo ter-  
ror, & fulgor præceptorum ſignificatur: in  
ſecundo carnis concuſſio, & confixio, quæ  
per illam inducitur: in tertio dulcedo au-  
ræ lenis, qua illorum ſuauiſſas, Deiq; præ-  
cipientis dulcedo guſtatur. Summa au-  
tem viſionis hæc eſt, vt apertè intelliga-  
mus, & ſenſu ipſo deguſtemus, hominem  
Deo comparatum non iuſtificari: neque  
factore ſuo quantalibet fortitudine præce-  
ptorum in obſervatione pergat, puriorem  
apparere poſſe. Quare tota huius ſapientia  
diſputatio eo fine concluditur. Ecce

Iob' 4.

qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in  
Angelis ſuis reperit prauitatem. Ergo tunc  
perfectè pro accepta notitia gratias agi-  
mus, ſi mandatorum Dei non ſolum ob-  
ſervatione perficimur, & purgamur; ſed  
etiam guſtata ſuauiſſas paſcimur, & oble-  
ſtamur. Sed metuentes, & comparantes

2: Cor. 10.

noſmetipſos nobis, cum tremore, & timo-  
re ſalutem noſtram operemur, illud cum  
reuerentia, & humilitate ſubindè rumi-  
nantes. Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſta-  
biles, & in Angelis ſuis reperit prauita-  
tem. Eat ergo nunc, ſi placet, humana ſu-  
perbia



perbia, & vix tenui illorum odore resper-  
 sa, audeat iactare sese, quod mandata didi-  
 cerit. Quamuis & gratias agere pro acce-  
 ptis, ad maiora aditum præparet. Sed at-  
 tendat quisque sibi: videat vbi iam est, &  
 vbi nondum est: vt de perceptis muneribus  
 gratias agens, ingratus non sit; & ad fu-  
 tura suspirans, quasi iam plenus, superbus  
 non sit.

8. Iustificationes tuas custodiam: non  
 me derelinquas vsquequaque.

Si dixisset, iustificationes tuas custodiui, Iure po-  
 posset quis existimare petitionem hanc, stulat Dei  
 ne omnino derelinquatur, in eo niti, quod custodia,  
 mandata Dei custodierit. Et merito, qui qui man-  
 ea seruat, protectionem, & custodiam Dei data Dei  
 spe bona sibi pollicetur. Quomodo enim custodit.  
 Deus amantem deserat, qui antequam a-  
 maretur, inflitit crebescens multimodis  
 vocibus, vt amantem quæreret, quærens  
 inueniret, inuentum dilectionis brachijs  
 retineret: At qui, qui habet mandata mea,  
 & seruat ea, ille est, qui diligit me, inquit *Ioan. 14.*  
 Veritas: qui autem diligit me, diligitur  
 à Patre meo: & ego diligam eum, & mani-  
 festabo ei me ipsum. Verè etenim, Domi-  
 ne, te nemo amittit, nisi qui dimittit. Verbo, cu-  
 Nunc verò, quia non ait custodiui, sed custodia,  
 stodiam, duo præcipuè indicare videtur: significatur primò  
 alterum firmum propositum seruandi le- firmum  
 gem tuam, sicut & infra dixit, Iuravi & sta- propositum.  
 tum.

tui



**Secundo  
perseue-  
rantia.**

tui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Non enim utcumque seruauit, aut seruaturum se promisit, sed firmo proposito iurauit, & statuit. Alterum perseveranti custodia in obseruatione mandatorum esse pergendum. Neque enim ad tempus aliud quod seruare est satis, sed perpetuo id agendum, curandumque est; sicut & perpetuo diuina protectione indigemus, que perseveranter custodientibus est promissa, & perpetuo sub illius aspectum uiuimus cuius oculi interiora ventris inuestigant, & perpetuo noua sanctificatione, & emundatione indigemus, qui ipso uiuendi uis quasi quotidie veterascimus. Propterea itaque de futuro ait, Iustificationes tuas custodiam.

**Bona tri-  
bulatio a-  
liqua.**

Sed quod subdit. Non me derelinquas usquequaque: vel, ut est in Hebræo, usque ualde: quod idem est, atque omnino, profususque relinquere; multa nobis, & magna, & dignissima scitu subindicat. Non potest ne ullo modo derelinquatur, sed ne proteritus deseratur, cum sciret nimirum, utile nobis esse ad mensuram interdum derelinqui; quod inde multa, atque egregia subsequantur commoda. Relinquit enim nos Dominus vel cum tentationibus concessis permittit, vel cum tribulationibus, & angustioribus sapientissimè quatit. Vbi & si deserere aliquo modo videtur, nec tamen deserit: quati permittit, sed non derici.



vt indulgentissima mater, inquit S. Macarius Aegyptius, filiolum ita igni applicat, vt salubriter calefiat, sed manu interposita seruat, ne plusquam oportet à flamma tangatur: ita interdum in tentationes permittit nos Deus incidere; vt, vbi timet anima se enerviter cecidisse, ibi accipiat firmius stare. Et deserit ergo, quia tentari nos permittit, & non deserit, quia in ipso conflictu, vt ait B. Diadocus, animæ ostendit ipsius esse victoriam. Multiplex autem inde consequitur utilitas.

Primum elucet ipsa Dei potentia, quæ rubum, & spinas tam facile accensibiles, & igne circumdari sinit, & comburi non suffinet. Magna planè visio, ad quam videntur pellium calceamenta, & inuolucra carnalium cogitationum deponenda sunt. Ita in mirabilibus his alius putatur vincere; id est, anima: alius bella conerit, id est, ipse Deus.

Primum elucet Dei potentia. Exod. 3.

Secundò nutritur humilitas, dum homo se experientia magistra librans, & ponderans, videt quam infirmus sit, quam facile succumberet, nisi iuuantis manu sustineretur. Quid autem vilius, aut ad promerendam gratiam, & perseuerantiam efficacius, quam si homo se in veritate cognoscat?

Secundò nutritur humilitas.

Tertiò excitatur homo validissimè ad orationem. sic Petrus videns ventum validum, timuit, & statim clamauit; sic Apostoli

Tertiò, Homo ad orationem excitatur.

stoli



*Matt. 14.* foli dormiētem in tempestate Dominum excitaverunt. Dormire enim interdum videtur, ut soporem nostrum excutiat.

*Matt. 8.* Quartō, Deinde acuitur Virtus, & Caritas huiusmodi tentationibus exercetur, quæ nisi exercitatione roboraretur, paulatim langueret.

*Prou. 25.* Quintō, Tum purgatur anima, & purior quotidie redditur, prout scriptum est. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Temperat quippe Dominus hoc modo animum, & repurgat, vitutesque fortiores reddit. Et erunt, ut Scriptura loquitur, in confirmatione creaturæ illius (hoc est germina, & fructus animæ firmabuntur) quoniam in tentatione, inquit, ambulat cum eo (haud dubium quin Dominus) & in primis eligit eum. Vide autem quam sapienter, & admirabili artificio. Timorem, & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrine suæ (quippe hoc modo docet animam Dominus) donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius. (Non enim credit se Deus animæ nisi probatæ, & tentationibus exercitæ) Qui enim non est tentatus quid sciet? Et vide ingentes fructus ex huiusmodi experimentis. Sequitur enim. Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum quod non sine mysterio quasi improprie dictum videtur, ut ad illum potius dicitur.

*Eccl. 4.* Præterea, in libro Iob, quædam res, quæ tentant, atque erudunt, appropinquat, ut nuda ante nudum, quæ illo scriptum est, & quasi lacerabit, sorbebit, & fiduciam eius. Non comparat.

*Eccl. 4.* Præterea, in libro Iob, quædam res, quæ tentant, atque erudunt, appropinquat, ut nuda ante nudum, quæ illo scriptum est, & quasi lacerabit, sorbebit, & fiduciam eius. Non comparat.



quam iter adducat, quam illum ad rectum deducat iter. Puto enim facilitatem, & suavitatem quandam innui, quasi iter rectum, & occasiones virtutum, atque directionis studiosè conquirat, ad nos adducat, nobis offerat, & ante pedes statuatur. Quid præterea? Lætificabit illum. O quanta lætitia post victoriam ex pugna? quam dulce bellum in triumpho? Et denudabit absconsa sua illi. Vide mirabilem Dei familiaritatem, & mysteriorum inexplicabilem manifestationem. Nimirum animæ ita probatæ iam se totum credit, & aperit. Et quasi hæc abundè non essent, addit voce significantissima, non quacunque largitate effundet, sed thesaurizabit super illum scientiam, & intellectum iustitiæ.

Præterea virtus, quæ in infirmitate latebat, in lucta manifestatur; & brachia ærea, quæ Dominus dedit, hostem prosterunt, atque deiiciunt. Quanta enim fortitudo apparet, cum anima cum hoste congredditur; & lacertos, ac vires exerit, quæ ante nuditatem, & pugnam latebant? Atque illo præsertim cum hoste, de quo scriptum est. Reputabit vt paleas ferrum, *Iob 41. 6.* & quasi lignum putridum æs. & item. Abforbebit fluium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influet Iordanis in os eius. Nec est potestas super terram, quæ comparetur ei. Quantæ ergo fortitudinis

Sexto fit manifesta virtus.

*Iob 41. 6.*  
*42.*



nis est non solum huic resistere, sed illum etiam ad terram elidere? Proferatur vel vnus testis Iob, cuius, dum omnibus afflueret, & potiretur bonis, pietas, largitas, & misericordia poterant elucere: fortitudo in aduersis, & virtus in hoste prosternendo non poterat. Calumniabatur olim inimicus, atque illius virtutem extenuans Domino dicebat. Nunquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum? Vnde nostri maligne esse vallatum per circuitum, nisi quia iam antea circumiens, vt dentem infigeres, vbi que vallatum, ac fortem, Deique protectione munitum inueneras? Quid, cum in manus hostis datus est? Quis eum non arbitraretur vsquequaque derelictum? & tamen derelictus non erat, quia bellator fortis cum ipso erat. Nec solus pugnabat, nec solus vincebat. Ipse in illo pugnauit, & vicit; qui licet ad horam eum dereliquisse videretur, eum tamen nunquam dereliquit. Quid Beatum Antonium memorem, qui inuisibilibus hostibus datus ad flagellum derelictus videbatur; & tamen cum Domino gemebundo clamore diceret. Vbi tunc eras Domine Iesu: suauissimum audiuit responsum. Tecum eram Antonie: & aberat ergo, quia sic flagellari sinebat; & aderat, quia pugnilem confortabat.

Iob 1.



Sed & illa quanta est utilitas tentationis, qua Deo sic ordinante, ab ipso terribilissimo hoste nihil minus volente, coronæ, atque in ipsis fulgentissimæ gemmæ fabricantur? Ut mirari liceat siue utilitatem, & præmia patientis, siue benignitatem, & fortitudinem protegentis. Qui plura voluerit, legat sanctum Chrysostomum in prima Homilia ad populum Antiochenum de utilitate tentationum, & tribulationum. Nobis hæc pauca dixisse sufficiat, ut appareat quam merito, quamque sapienter petierit Propheta non quidem ne aliquo usque derelinqueretur, sed ne usquequaque.

Septimo,  
ab ipso  
hoste fa-  
bricantur  
coronæ.

¶ Beth, id est, Domus.

*Octonarius Secundus.*

¶ IN quo corrigit adolescentior  
viam suam? in custodiendo  
sermone tuos.

10 In toto corde meo exquisivi te:  
ne repellas me à mādatis tuis.

11 In corde meo abscondi eloquia  
tua: ut non peccem tibi.

12 Benedictus es Domine: doce me  
iustificationes tuas.

13 In



- 13 In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.
- 14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.
- 15 In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.
- 16 In iustificationibus tuis meditabor: non obiuiscar sermones tuos.
- 17 In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

**H**inc apparet vbique omnino necessariam esse custodiam sermonum Dei. Nam cum pluribus modis iste adolescentior accipi possit, omnibus tamen vias suas custodia verbi Dei corrigit, atque confirmat.

Adole-  
scens ac-  
cipitur  
primò de  
ætate.

Primum enim si accipiatur adolescentior in iuuenili ætate, quæ vitæ pars lubrica est, & periculis exposita, quomodo poterit iste vias suas corrigere nisi meditatione & obseruatione mandatorum Dei: Venit in mentem adolescentior ille filius, qui Patre discedens prodegit patrimonium in regione longinqua egestate, & fame squallidus adhæsit vni ciuium Babylonis humi.

Luc. 15.

ibique  
piens,  
nus de  
statis. Q  
corrige  
ne præc  
ret. Sur  
& stola  
nobilita  
vituli sa  
dulcissim  
puum et  
tris, qua  
à Patre  
mè tran  
Secur  
non tan  
cet etiam  
puerilis  
lus seuer  
effici ser  
quam n  
illecebris  
regere n  
uitus, v  
igitur in  
non ren  
Qui tali  
sapissim  
rupta m  
captiuus  
bus inqu



ibique de filiquis porcorum saturari cupiens, nec valens, sibi ipsi (vt S. Augustinus de se loquitur) factus erat regio egestatis. *Conf. l. 2. in fine.*  
 Quomodo poterat hic adolescentior *Luc. 15.*  
 corrigere viam suam, nisi illa meditatione præciperet, & re ipsa opere adimpleret. Surgam, & ibo ad Patrem meum? Ibi & stola reddita est: ibi & annulus datus nobilitatis insigne: ibi suauissimæ epulæ vituli saginati: ibi chorus, & symphonia dulcissimè mulcebant: &, quod præcipuum est, amplexus indulgentissimi Patris, quasi amoris iaculo cor antea auersum à Patre alienum, & malè durum suauissimè transuerberabāt.

Secundò, accipi potest adolescentior *Secundò, de sensu.*  
 non tam ætate, quam sensu; in quo scilicet etiam in virili corpore, & cano capite puerilis animus dominetur. Quod Apostolus seuerè prohibet ijs verbis. Nolite pueri effici sensibus. Quod vitæ genus sanè perquam miserum est: quia fatua mens, & *1. Cor. 14.*  
 illecebris dedita, & tenebris obscurata bene regere non potest: turpiterque ibi fit seruitus, vt debuerat esse dominatus. Quid igitur in huiusmodi vita non anceps? quid non tenebrosum, quid non præceps est? Qui talis est adolescens, bonum malum *Isa. 5.*  
 sapissimè, & malū bonū ponit: perque prærupta miser, & deuia graditur, illecebris captiuus, timoribus anxius, sollicitudinibus inquietus, denique in figura hominis  
 M mini.



minimè homo: in imagine, quam accepit à Deo, quiduis aliud repræsentans. Que igitur ei spes dirigendi, & corrigendi vias suas superest, nisi in cognitione, & obseruatione mandatorum Dei? nisi ad te per-

*Psal. 118.* petuò clamet? Ne abscondas à me man-  
*Eccl. 23.* data tua: & ne derelinquas me Domine,  
 ne adincrescant ignorantia mea, nec multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundant.

*Tertiò, de* Tertiò, potest in bonum accipi, Adole-  
*robore, ac* scentior, vt vigorem animi, & hominem  
*rigore.* expeditum, paratumque ad omnia eo no-

*Psal. 126.* mine intelligamus: quemadmodum in  
 alio psalmo eadè vox **TV3** filij excussorū  
 versa est: & alius, filij pubertatis; alius, in-  
 uentutis, transtulit. Dicuntur autem ex-

culsi, quasi agiles, non grauari, viribus in-  
 tegri, laboribus exerciti. Quod si hoc modo  
 accipiamus, etiam sic adolefcentior iste nō

nisi per mandata Dei corrigit viam suam.  
 Quo docemur, quantumlibet paratos, ex-

*Iac. 3.* peditosque homines, benè currentes, dex-  
 teritate impigros, pugiles aptissimos, per-

petua tamen indigere custodia, & directione:  
 tum quia in multis offendimus omnes,  
 tum quia perfectiora sectantes in id inie-

bere debent, vt, quæ nondum acceperunt,  
 habeant; & perfectius possint possidere,  
 quæ ceperint.

Id vt plenius intelligamus, atque om-  
 nia, quæ dicta sunt, tanquam summam col-  
 ligentia



ligentes perstringamus, cogitandum nobis est, Passiones animi, quæ nisi per spiritum dirigantur, & subleuentur, ægritudines quedam sunt, animam diuersas in partes distrahere, eiusque non tam motiones, quam dissonantias efficere. Quò fit, vt primæ illæ passiones notissimæ, quæ ceterarum omnium veluti scaturigines, & fontes sunt, Timor, scilicet, Cupiditas, Dolor, atque Gaudium, nisi superiore freno coercantur, miseram animam pestilentiosis desiderijs conscindant, vt S. Augustinus loquitur. Fundantur autem istæ omnes in amore: qui, si rectus non sit, nec ipsæ rectæ esse possunt. Sed sermones Dei & illum, & has perspicuè rectificant. Docent quippe de Timore. Timor Domini odit malum, & Timor Dei expellit peccatum. Et, In timore Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Docent ergo & vnde, & quid timendum. Item de cupiditate, & desiderio. Concupiuit anima mea desiderare Iustificationes tuas. & concupiscentias non eas: & à voluntate auertere. Et, Mundus transit, & concupiscentia eius. At verò recta concupiscentia dicit. Concupiscit, & deficit anima mea in atriâ Domini: & iterum, Anima mea desiderauit te in nocte. & Initium Sapientiæ est verissima illius concupiscentia. Iam de Dolor. Et Dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo,

Affectus  
animi  
quomodo  
lege dei  
dirigantur.  
  
Prou. 8.  
Eccl. 1.  
  
Psal. 118.  
Eccl. 18.  
1. 10. 2.  
Psal. 83.  
Isai. 26.  
Sap. 6.  
Psal. 37.





- Psal. 118.** nuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Defectio tenuit me pro peccatoribus delinquentibus legem tuam. De gaudio verò quid? Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Et gaudebunt de bonis Domini super frumento, vino, & oleo (non utique visibilibus istis) sed quod in aeterna simplicitate pascit, inebriat, lucet, & virgit. Et illud. Memor fui Dei, & delectatus sum. Sic utique per sermones Dei, & amor rectus fit, & affectiones. Nam ciues omnes recti erunt affectus. quoque sanctæ Ciuitatis Dei, in huius vitæ peregrinationis secundum Deum uiuentibus (inquit S. Augustinus) metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia **De Ciuit. l. 14, c. 9.** rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt, sed pernam aeternam. Cupiunt, sed vitam aeternam. Dolent in se, quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt, adoptionem expectantes redemptionem corporis sui. Gaudent in spe, quia fiet sermo, qui scriptus est. **1. Cor. 15.** Abiecta est mors in victoria. Itē metuunt peccare: cupiunt perseverare. Dolent in peccatis: gaudent in operibus bonis. Non solum autem propter semetipsos his mouentibus affectibus, verum etiam propter eos, quos librari cupiunt, & ne pereant metuunt, dolent si pereunt, & gaudent si liberantur.
- Igitur, quoniam sine his affectionibus vita non ducitur, cum in amore naturali fundentur; certumque est vitam rectam



qua perueniendum sit ad beatum, eas re-  
ctas habere, peruersam peruersas, amore  
diuino, & supernaturali corrigendæ sunt.

Qui per quatuor illas virtutes, quas Car-  
dinales vocamus ( quarum vtinam ita sit  
in mentibus vis, vt nomina in ore sunt  
omnium) tum præcipuas illas affectiones,  
tum quæ inde deriuantur sanat, ornat, &  
sanctificat. Vnde est, vt Temperantiam,  
quæ circa delectabilia versatur, & coercen-  
das cupiditates, quibus inhiamus in ea,  
quæ nos auertunt à legibus Dei, definiamus esse amorem se se Deo integrum, in-  
corruptumque seruantem. Fortitudinem  
autem, quæ ardua & sustinet, & efficit,  
esse amorem omnia propter Deum facile  
perferentem. Iustitiam verò, quæ cuique  
tribuit quod suum est, amorem Deo tan-  
tum seruiendi. Prudentiam denique amo-  
rem ea, quibus adiuuetur in Deum ab ijs,  
quibus impediri potest, benè discernen-  
tem, ac sagaciter seligentem. Quas virtu-  
tes sic breuiter Scriptura enumerat. Sobrie-  
tatem enim, & prudentiam docet, & ius-  
titiam, & virtutem, quibus vtilius nihil  
est in vita hominibus. Vides quam rectè  
dictum sit corrigere adolescentem vias suas  
custodia sermonum Dei. Huiusmodi enim  
virtutibus se ipsum continet: suos effectus,  
ne auertantur à lege Dei, nec quasi præci-  
pitum eum agant, aut in diuersa distra-  
hant, quasi habenis quibusdam vigilan-

Omnes  
virtutes  
quodam-  
modo  
amores.

Sap. 8.

M 3. tilsimus



*Serm. 85  
in Cant.*

tissimus auriga moderatur, ac regit. Quod egregiè asserit S. Bernardus de anima, quæ super dilectum innixa delicijs affluens ascendit: alioqui, inquit, frustra nititur, si non innititur. Sanè etiam contra se innitens inualescet, & facta seipsa validior cogget pro ratione vniuersa, iram, metum, cupiditatem, & gaudium veluti quendam animæ currum bonus auriga reget, & in captiuitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis. ¶ Cum enim

*Rom. 7.*

(inquit Apostolus) essetis in carne, passionès operabantur in membris vestris, ut fructificarent morti: nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam. Quam præclarus auriga, qui & tales domuit equos, id est, indociles affectus; & dirigit, atque captiuat in obsequium virtutis! De qua anima non immeritò dicere possis, quod & de Elia

*Rom. 6.*

olim Eliseus, & de ipso Eliseo Ioas Rex affirmavit, Pater mi, currus Israel, & auriga eius. Verè beata anima, quæ simul currus Dei est, ipsum vehendo (quod Ezechiel præstantissima olim visionè vidit, & sanctus Macarius concinna admodum expositione declarat) simul auriga ipsius currus equos huiuscemodi frænando, ac dirigendo. Quamuis, si verum pronuntiare velimus, id potius tibi dicendum, Qui

*4. Reg. 2.*

*13.*

ascendit

*Ezech. 10.*

tur factus  
O Sapi  
finem  
nendis  
in bea  
ge actu  
necessi  
stros,  
possit  
gloria  
carita

ascendit



ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Ipse enim & regis, & saluas.  
 O Sapiencia, quæ attingis à fine vsque ad finem fortiter ( in instituendis, & continendis rebus ) & disponis omnia suauiter in beandis, & ordinandis affectibus, dirige actus nostros, prout nostra temporalis necessitas poscit, & dispone affectus nostros, prout tua veritas æterna requirit: vt possit vnusquisque nostrum securè in te gloriari, & dicere, Quia ordinauit in me caritatem.

*Habac. 3.  
Sap. 1.*

*Bern. ser.  
50. in  
Cam.*

*Cam. 2.*

**10** In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.

Quid sit in toto corde exquirere, dictū est supra in illud, Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Sed quod dicit, Ne repellas me à mandatis tuis, durum sonat, nisi rectè intelligatur. Quomodo enim repellat à mandatis, qui legem ideo talit, vt secundum eam viueremus? & mandata sua mandauit custodiri nimis? Nec modo illuminat docendo, sed allicit promittendo, roborat confortando, applicat trahendo? Sed videlicet miseria conditionis nostræ exprimitur, infirmitas declaratur. Dum enim ab alio impellimur, repellimur à mandatis. Non est autem vnus impulsor: impulsor mundus, impulsor Diabolus, *repellens.*

*Multa  
nos à mā-  
datis Dei  
repellens.*

M. 4. impul-



*Serm. 85.* impulsor homo. Queris, inquit Bernardus, quis homo? quisque sui. Usque adeo autem homo sibi impulsor est, & suimet præcipitator; ut non sit, quod ab alio impulsore formides, si à te ipso proprias contineas manus. Ergo dum impellimur ad concupiscentias, & veterem hominem induimus, distrahimur à mandatis. At-

*Deus re-* que adeo nisi Dominus sua nos manu, & *pellit non* ab impellentibus protegat, & post se per *adiuuan-* mandata currere faciat, eo ipso, quo nos *do specia-* non applicat, repellere dicitur. Ut, verbi *libus au-* gratia, æger, & paralyticus nisi suauiter *xilijs.* trahatur, & in lectulo ipso porretur, dici poterit à prandio, vel à cœna repelli: cum tamen verè is, qui prandium parauit, & inuitet, & libentissimè cum recepturus sit. Sed non gestasse hominem, repulisse est. O Domine, Domine, cui infirmitas nostra nota est, tu nos protege, tu infirmos porta, tu per tua mandata in odorem

*Cant. 1.*

*Jerem. 14.*

unguentorum fac ad te currere: alioqui nisi ipse perduxeris, repelli dicimur. Quo quid miserabilius esse potest? Denique à meridiana luce, quæ omnibus obuia est, tum is, quem carcer obscurus tenet, tum cæcus repellitur. Sana ergo me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero. Trahe post te, ut expeditis passibus ad tua mandata, perque vias eorum, atque curricula ad te demum cum prosperitate perueniam.



II In corde meo abscondi eloquia tua,  
vt non peccem tibi.

**VERBVM IOY** significat abscon- Verba Dei  
dere, occultare, recondere, reseruare. abscondē-  
Benè autem dicitur in corde. Nam siue in da in cor-  
memoria retineantur præcepta per recor- de.  
dationem, siue in lingua per pronuntia-  
tionem, siue in mente per intelligen-  
tiam; nulla consequitur utilitas, non  
magis, quam si panis seruetur in arca, nec  
assumatur in cibū. Itaque in corde abscon-  
denda sunt eloquia Dei, vt non peccemus.

Absconduntur autem, siue vt semen, & Primū,  
radix, quæ in terra reconditur, vt humo- vt semen.  
rem trahat. Ex illa quippe absconsa (nam  
nisi in profundo lateat exarefcit) nascitur Psal. 1.  
honor foliorum non defluentium. Nam Isai. 1.  
folium eius, inquit, non defluet. Quò  
contra de recedentibus dicitur. Cum fue- Isai. 28.  
ritis velut quercus defluentibus folijs. Nas-  
citur decore florum non decidentium: cum  
contra de nonnullis dicatur. Væ coronæ Naum. 3.  
superbiæ ebrijs Ephraim, & flori decidenti  
gloriæ exultationis eius. Oritur denique  
fecunditas fructuum non marcescētium;  
qui non excutiantur; aut decidant in os  
arborem concutientis, vt merito gloriatur  
Propheta se hanc radicem in corde, id est,  
in principali pectoris sui recondidisse: vn-  
de tam pulchra, tamque vtilia nasci cer-  
tum est. Ex corde eum prodeunt caste



cogitationes, recta consilia, opera, quae non marcescant.

Secundò, *ut thesaurus.* Absconduntur etiam ut thesaurus, qui nisi diligenter, & custodiatur, & recondatur, facile ab hoste diripitur. Scimus enim quosdam cum gaudio suscepisse verbum

*Matt. 13.*

Dei, sed quia non absconderunt in corde, volucres celi comederunt illud, id est, Diabolus de corde abstulit. Quam ob rem quo maior thesaurus est, eo maiore custodia indiget. Alitè fodiendus est, ne facile effodiatur. Quam procliuè est, Iesu bone, ut sancta desideria, & conceptus ex verbo tuo seruator, nisi abscondatur profundius, vel ab hoste diripiatur, vel per se se evanescat?

*2. Tim. 1.*

Tu verò potens es, Domine, depositum meum servare, siue quod ipse apud me servandum deposuisti, siue quod ego apud te. Nam id tutius. Reserua tibi clavem cordis mei, ne quis alius aperire possit, & thesaurum suffragari. Tu es enim clavis David, quae claudis, & nemo aperit.

*Apo. 3.*

Obsigna annulo, & sigillo tuo, ne quis effringere audeat: ipse custodi partem tuam, quam de Amorrhæo tulisti in gladio, & arcu tuo. Solus enim ligato mundi

*Matt. 12.*

Principe, vasa captivitatis diripuisti: & de vasis contumeliæ in vasa gloriæ transfuisti.

*2. Tim. 2.*

Tertiò ut res carissima, quam penitus nobis inserere, intimisque medullis gestare cupimus. Ideò

nusquam



nusquam melius, quam in corde seruata honoratur. Nusquam tutius, quam in arce animæ: nusquam nobilior, quam in regia. Quis enim locus præstantior, ac munitior, aut quæ theca nobilior pretiosissimæ, & carissimæ gemmæ præparetur? Felix certè anima, quæ in principali pectoris sui, non tam ad seruandâ, & honorandâ illa, quam ad sui met custodiam, ornatum, fructum, & consolationem uerba tua, & legem tuam abscondit.

**Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.**

**A**M vt respiret, collectisque viribus tanquam nouo facto principio, cetera prosequatur, in laudes, & gratiarum actiones erumpit, dicens. Benedictus es Domine, &c. Quam grata vox benedictio est? quam suavis? quam efficax? Grata pro beneficio, suavis pro lætitia, efficax pro impetratione. Nam & Apostolus, Orationi, postulacioni, & obsecrationi, vt fructuose sint, & iucundæ, gratiarum actiones docet esse miscendas. Hæ nimirum disponunt animam ad maiora percipiendâ: & vt inquit S. Bernardus. Si copiæ aquarum secretis, subterraneisque decursibus incessanter æquora reperunt, vt inde rursus ad visus, vsusque nostros iugi, & infatigabili, erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riuu, vt arua mentium rigare

*Gratiarū actio quãri faciendâ.*

*Thess. 5.*

*Serm. 13: in Cant.*



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



*Escl. 1.*

gare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium caeleste profluuium, quò vberius terræ refundatur. ] Alioqui si anima ingrata sit, magnum bonum, quod acceperat gratiarum, in magnum sibi vertit malum: dum de donis Domini facta eximia, quasi non agnoscat vnde proueniant, in autorem non refert, quod acceperat. Vnde & consequenter cauet cautè donator, ne quo plura contulerit ingrato, plura perdat. Vides quam magna sit & iniquitas, & calamitas auctori gratias non referri, quas quidem diligentissimè ille vult reddi? Nam propterea iussit, vt summo

*Exod. 16.*

mane ante solis ortum manna colligeretur, vt notum omnibus esset, inquit Scriptura, quoniam oportet praeuenire solem ad benedictionem tuam. Et verbum Dei manna est; quod tendentibus ad re-promissionis terram in deserto mundi huius prae-parat Dominus verè pius, verè misericors; vt & videntes cum admiratione exclament, quid est hoc? & gustantes omne delectamentum, & omnem saporem

*Sap. 16.*

suauitatis experiantur. Qui scilicet cibus & minutus est ( vt ait S. Augustinus ) propter res subriles, & spiritales, quas continet: & melli similis, ac similæ propter dulcedinem, qua abundat: vnde & infra dicitur.

*Serm. 91.**de temp.*



cœtur. Quam dulcia faucibus meis eloquia  
 tua! super mel ori meo. Non itaque hoc *Exod. 16.*  
 manna incuriosè habendum est, vt putre-  
 scat, sed auidè comedendum: neque stultè  
 nimis permittendum in tanti cibi copia,  
 & dulcedine, vt cucumeres, pepones, por- *Num. 11.*  
 tique, capæ, & allia Aegypti, id est, mundi  
 huius vilissimæ illecebræ, in mentem re-  
 currant. Quare meritò cum beneficia  
 Psalmographus retulisset dicens. In toto  
 corde meo exquisiui te, & In corde meo  
 abscondi eloquia tua, in gratiarum a-  
 ctionem erumpit, & ait. Benedictus es  
 Domine. Et inde quasi parato in petiti-  
 nem aditu, subdit. Doce me iustificatio-  
 nes tuas.

Quis autem est Domine benedictus, *Omnia*  
 nisi tu? Ecce benedictionem tuam omnes *Deum be-*  
 creaturæ depromunt, omnes Scripturæ *nedicunt.*  
 proclamant, omnes Sancti siue in aduer-  
 sis, siue in prosperis, & in donorum spiri-  
 tualium siue copia, siue inopia perpetuò  
 resonant. Testes sunt locupletissimi tres  
 pueri tui in camino Babylonico, qui in  
 medio ignis primum colligati, tum flam-  
 marum virtute soluti, non solum ipsi ad-  
 mirabile benedictionis canticum condi-  
 derunt, sed etiã creaturarum omnium lin-  
 guis Te benedixerunt, inuitantes ad lau-  
 des tuas, & quasi in adiutorium, etiam in  
 frigus affumentes frigus, pruina, gelu,  
 ignem, æstam, fontes, maria, terram: de-  
 nique



nique quicquid creaturarum visibilium enumerare potuerunt. Nam Angelos, & inuisibiles Potestates, quæ tuas sine cessatione laudes concinunt, in initio & ad te benedicendum inuitarunt; & veluti coniunctis cum vocibus illorum vocibus suis, de quæ ipsorum laudibus sibi complacentes, vno te quasi choro collaudarunt, ac benedixerunt.

Sequitur iam petitio. Doce me iustificationes tuas. In qua diutius meditanda immorari suauiter licet, explicanda non licet. Per se enim aperta est. Breuiter tamen quærendum est, cum superius dixerit. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. & Confitebor tibi in directione cordis in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ. & paulò post. In corde meo abscondi eloquia tua; quare nunc dicat, Doce me iustificationes tuas. Cum enim certa sint, quæ dixerat, quid opus est iterum vel doceri, vel petere, vt doceatur? Nimirum vt necessitatem perseuerantiæ, & quam perpetuò noua doctrina indigeat, & ingentem cupiditatem ampliora sine intermissione discendi significet.

\* \* \*



In labijs meis pronuntiaui omnia  
iudicia oris tui.

Quam iucundum est, quam sublime, Verbum  
quam plenum utilitatis, ac dignita- Dei, om-  
tis ex ore Dei verba recipere! Suscepit nia susce-  
celum, suscepit terra, suscepit mare: susce- perunt.  
perunt sol, luna, & astra verbum Dei  
quoniam, ipse dixit, & facta sunt; ipse *Gen. 1.*  
mandauit, & creata sunt: cum & verbum *Pf. 148.*  
ipsius in æternum permaneat in cælo; & *Infra in:*  
omnis illius ornatus ex eo pendeat: & ter- *hoc Psal.*  
ra super maria, & flumina eodem verbo *Pfal. 23.*  
& ipsa præparata sit, & firmata. Sed quan- *Quantum*  
tum est hoc ad eam gloriam, qua homi- beneficiū  
nes donati sunt, cum verba ex ore Dei verba Dei  
accipere potuerunt; ut illa & intellectu perciperet.  
percipiant, & voluntate adimpleant, & o-  
pere, atque amore confirmet? Certè cum  
legem per Mosem daturus esset, Sancti- *Exod. 24.*  
fica, inquit, illos hodie, & cras, lauent-  
que vestimenta sua, & sint parati in diem  
tertium. Vides qua sanctificatione, &  
preparatione cordis verba ex tali ore ac-  
cipienda sint. Si enim (vt ait Ecclesiastes) *Ecc. 12.*  
verba sapientum sunt sicut stimuli, &  
quasi clau. in altum defixi, quæ per ma-  
gistrorum consilium data sunt à Pastore  
vno; satis liquet, verba summi ipsius Pa-  
storis, quo doctore per manus magistro-  
rum data sunt, qua reuerentia, quove affe-  
ctui intima sint pectoris admittenda.

Certe:



*Iob 1.*

Certè Iob vir rectus, & simplex à malo  
recedens, factorique adhærens, cum pe-  
dem suum vestigia eius sequutum fuisse,

*Iob 23.*

seque viam illius custodisse, neque ex ea  
declinasse gloriaretur, subiecit. A manda-  
tis labiorum eius non recessi; & in sinu  
meo abscondi verba oris eius: causamque  
subdit. Ipse enim solus est. Igitur, quia hoc

*Eccl. vlt.*

est omnis homo, si mandata Dei seruet;  
& ab ijs declinare à nihilo est, & in nihilo  
tendit, rectè absconduntur in sinu  
verba oris eius, qui solus est: quandoqui-  
dem congruè adhære illi verè esse nos  
facit, sicut ab illo detiare, facit non esse.

*Iob 18.*

Quare & de quodam scriptum est, id est  
de impio. Habitent in tabernaculo eius  
socij eius, qui non est. O felicem ani-  
mam, quæ aures cordis, quibus diuinæ he-  
vices audiuntur, assidue perpurgat, ut be-  
nè possint audiri. Sed quid est, omnia iur-  
dicia oris tui? Non frustra puto additur  
oris. Neque enim illa inuestigare possu-  
mus, quæ ipse non protulit, sicut manife-  
stata audire valemus.

**Pronun-  
tiat labijs  
suis.**

**Primo ob-  
dulcedi-  
nem qua-  
saporis.**

Ceterum cur in labijs suis se mandata  
pronuntiasse dicat, non otiosum est quere-  
re. Non enim tantum se aut intellexisse  
aut dilexisse asseruit, quod mente fieri po-  
tuit, sed etiam labijs pronuntiasse. Pro-  
nuntiat itaque labijs suis, primum ob dul-  
cedinem, & suauitatem, quam in ore ex  
huiusmodi verbis experitur. Siquidem ve-  
rè est:



est dictum. Fauus mellis verba compo- *Prou. 16.*

Deinde videtur mihi quasi dulcē quan- *Secundò*  
dam melodiam, qua aures permulceren- *ob suavi-*  
tur, significasse. Neque enim sine causa do- *tatē me-*  
cet Sapiens in vino lætitiæ spiritualis con- *lodiz.*  
centum Musicorum peropportunum esse: *Ecc. 49.*  
neque Musicam esse impediendam. Hæc *¶ c. 32.*  
certe vis est verborum Dei, vt animam  
recte compositam cum mulceant suauissi-  
me, tum ad somnum spiritualis quietis,  
atque contemplationis miro modo &  
perliciant, & perducant.

Tertiò, Vt purget, & sanctificet labia. *Tertiò vt*  
Est enim eloquium Domini ignitum ve- *sanctifi-*  
hementer: vt infra canit Propheta. *cet labia.*

Postremò in labijs pronuntiat, ne solus *Quartò vt*  
ea lætitia perfruatur. Nam etsi solus de- *commu-*  
beat habere, aquas, qui sine admittione *nicet cum*  
vanitatis illas intrinsecus participat, mo- *alijs.*  
nerur tamen ad aliorum vtilitatem in pla- *Prou. 5.*  
teas illas diuidere. Hoc siquidem vera, &

casta contemplatio habet, ait S. Bernar- *Serm. 57.*  
dus, vt mentem, quam diuino igne vehe- *in Cant.*  
menter succenderit, tanto interdum re-  
pleat zelo, & desiderio acquirendi Deo,

qui eum similiter diligant, vt otium con- *Vera con-*  
tēplatio  
zeli ani-  
marum  
accendit.  
*9. Con. 6.*

templationis præ studio prædicationis li-  
bentissimè intermittat. Et S. Augustinus,  
cum nouus hospes ad Scripturas meditan-  
das, præsertim verò ad Psalmos Dauid,  
Cantica illa fidelia, & sonos pietatis exclu-  
dentes.



dentes turgidum spiritum, accessisset, ita se affectum profiteretur, vt accēderetur illos recitare, si posset, toto orbe terrarum aduersus typhum generis humani. Quod spirituales viri, quibus alios iuuandi cura est, diligenter debent imitari: dum tamen cocham se ex consilio D. Bernardi non canalem exhibeant. Hic quidem penè simul & recipit, & refundit; illa verò donec impleatur expectat; & sic, quod superabundat, sine suo damno communicat. Deinde concha imitetur fontem. Non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec suis satiatur aquis. Nec pudeat cocham non esse suo fonte profusorem. Quo loco etià sapientissimè docet idē Pater quæ, & quanta infundenda sint priusquam effundere presumamus. Primò quidem, inquit, compunctio, deinde deuotio, Tertio pœnitentiæ labor, Quarto pietatis opus, Quinto orationis studium, Sexto contemplationis otium, Septimò plenitudo dilectionis. Hic est amor qui zelat, hic replet, hic feruet, hic ebullit, hic iam securus effundit exundans, & erumpens. Domine Deus, Magister bone, virtus, salus, & firmitas nostra, fac nos ita ex aliorum zelo, & caritate pronuntiare labijs iudicia oris tui, quod est de tua largitate effundere, vt & impenitus, & prius curemus infundi: quo in spiritu humilitatis, & feruoris, ne partē nostram deteriorē faciamus, quando quidem, qui id facit, ma-

*Serm. 18.  
in Cant.*

*Sed curandum  
vt sis concha non  
canalis.*

I  
dictum  
ipsis priu  
vix toto  
medullis  
14. In vi  
le  
Si dixi  
ge tua  
quid sibi  
tor aliqu  
simonia  
per ea ad  
sibus, sed  
di serua n  
ximus, ip  
ratio dici  
se in testi  
præceptis  
tione sub  
ne satis e  
est, dum  
lar. Obse  
sione spir  
terminur  
Ceteri  
delectari  
carnem a  
munt. C  
tare vehi  
uit illoru  
tiam: &



dictum Scriptura tua pronuntiat: nobis  
 ipsis prius apud te, qui lux es, & vita, verba  
 tua toto corde percipiamus, intimisque  
 medullis cantè, ac sedulò inferamus.

**14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum.**

Si dixisset in testimonijs tuis, vel in lege tua, simpliciter acciperemus; sed quid sibi vult in via testimoniorum? Arbitror aliquid significari perutile nobis. Testimonia, seu mandata via dicuntur, quia per ea ad vitam gradimur non pedum passibus, sed affectibus. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et via interdum, vt diximus, ipsa nostra conuersatio, & viuendi ratio dicitur. Proinde non dicit delectatū se in testimonijs Domini, hoc est, in nudis praeceptis; notitiaque tantum, & speculatione subtili cognitis, quod nec magnum, nec satis esset, sed in via testimoniorū, hoc est, dum actione, & opere per illa ambulat. Obseruatione enim illorū, & progressionē spiritualium gressuum per viam ad terminum graditur.

Ceterū non est omnium mandatis Dei delectari. Aliquos enim, qui secundum carnem ambulant, non delectant, sed premunt. Quis autem delectatur? qui caritate vehitur. Quis delectatur? qui & nouit illorum pulchritudinem, & excellentiam: & facilitatem, & vtilitatem experitur.

**Mandata sunt via, quia ducunt ad vitam.**

*Matth 19.*

**Quis delectetur mandatis Dei.**



tur. Abstinere quippe ab operibus carnis, quæ diuina lege prohibentur, iucundum est in spiritu ambulantis. Ipse enim spiritus implet, agit, portat, suaue facit iugiter, denique delectabilia facit quæcumque ille iusserit, in cuius dextera delectationes sunt usque in finem. Sed audi quanta necessaria sint, ut in mandatis Domini, id est, in ipso Domino delecteris. Isaias loquitur. Si auerteris à sabbato pedem tuum facere uoluntatem tuam in die sancto meo. (En uoluntatis abnegatio uiuentibus in perpe-

*Psal. 15.*

*Isai. 58.*

*Isai. 66.*

tuis sabbatis, & ferijs Domini. namque ambulantes in spiritu habent sabbatum ex sabbato, & Neomeniam ex Neomenia) & uocaueris, inquit, sabbatum delicatum, (uide quid faciat amor? Ipse sabbatissimus, id est, cessatio, & requies ab operibus mortuis, castæ deliciae sunt Sanctorum) & sanctum Domini gloriosum (templum scilicet, ubi ipse inhabitat, & nobiscum conuersatur) Et glorificaueris eum, dum non facis uias tuas (à quibus procul dubio abstinendum est, ut uiam Domini percurramus) Et non inuenitur uoluntas tua, ut loquaris sermonem (magnum malum propria uoluntas, quæ in properantibus ad patriam ita disperdi debet, ut nec inueniatur) Tunc, inquit Propheta, delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudines terræ. Illa radix, hic fructus. Ergo qui se gratulatur, in uia mandatorum delectatur.

rum, hæ  
di sancta  
riatur.

Cum  
& es  
somnia  
nes uiri  
est, quod  
tam inf  
cum so  
dolore,  
penden  
bus diu  
ros, & a  
bundan  
parere  
diffe: ut  
optari,  
ficienti  
conferri  
hoc pa  
sunt ex  
cum di  
diuitia  
tia, Tin  
Non e  
aut se  
Dei m



tum, hæc omnia in delectatione huiusmodi sancta, quasi coniuncta, & inclusa gloriatur.

**Sicut in omnibus diuitijs.**

**C**um Scriptura dicat Diuites eguerunt, & esurierunt. Et item, Dormierunt somnium suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Quid est, quod re tam spinosam, tam fragilem, tam infidelem, quæ cum labore quaeritur, cum solitudine possidetur, amittitur cum dolore, diuinis mandatis comparat? Sed perpendendum primo: cum dixit, in omnibus diuitijs, non solum pecuniæ thesauros, & ampla vectigalia, sed omnia, quæ abundantiam, sufficientiam, & potentiam parere solent, hoc nomine comprehendisse: ut, non diuitias solum, sed omnia, quæ optari, & possideri in hac vita solent, sufficientiæ, & thesauro mandatorum Dei conferre, & comparare intelligatur. Sed hoc parum est. Hæc enim omnia arena sunt exigua, & quasi lutum æstimanda, si cum diuinis thesauris componantur. Nam diuitiæ salutis, inquit Sapia, & scientia, Timor Domini ipse est thesaurus eius. Non erga significat parem delectationem, aut securitatem in omnibus diuitijs, & Dei mandatis esse. Sed, quoniam homines

**Quomodo diuitiæ cum mandatis comparantur.**  
*Psal. 35.*  
*Psal. 75.*

*Isai. 33.*

errore



errore quidem infano his sensibilibus diuitijs beatos se, & tutos credunt, puto illum sic dicere, delectatus sum in vijs mādatorū tuorū, sicut solēt pueriles homines diuitijs oblectari, in ijsque confidere. Hæc quippe solent homines magnifacere, & summam in eis felicitatem reponere. Optimè enim *Eccl. 10.* Ambrosius. Alij in auro, alij in argento, alij in vestibus, alij in possessionibus, vineis, oleis, segetibus, alij in operibus picturæ, marmorum: in diuersis denique singuli delectationes habent: spiritualis in via testimoniorum cælestium delectatur, tanquam omne possidens patrimonium, in *2. Cor. 1.* omnibus diues, sicut Apostolus dicit. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo IESV, quia in omnibus diuites facti estis in illo. Quare ex rebus notis affectum indicat, vt per sensibilia discamus ad superiora conscendere. Et fortasse rem totam commodius explicemus, si Sapientis audiamus sententiam. Sicut protegit sapientia, inquit, sic protegit pecunia. An, rogo, non amplius? Quis non videt maximam inter hæc distantiam. Quam ipsemet velut deridens stultorum somnia, per ironiam, vt arbitror, sic explicat: subdit enim Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. Quasi verò pusillo inter se discrimine hæc distent, extrinsecus duntaxat, incerteque valde,



valde, atque infirmè protegere, & vitam tribuere possessori suo. Quare idem Psalmographus infrà loquens non ex opinione communi, sed lingua sua, mandatorum scientiam longè diuitijs prætulit, cum dixit. Ideò dilexi mandata tua super aurum, & topazion.

**In mandatis tuis exercebor.**

Præpendendum primò est præposuisse Exercebor, postea subdidisse Considerabo: tum quia practica pars, & exercitatio in virtutibus ante theoreticam, & investigationem, ac meditationem mysteriorum Dei præmittenda est. Quam ob causam rectè S. Ambrosius obseruat initio quoq; huius psalmi primò dictos esse beatos, qui ambulant in lege Domini, deinde qui scrutantur testimonia eius, tū quia etiam post exercitationem, & obseruationem iugis est retentanda meditatio, vt ad anteriora tendamus. Quo enim quisque amplius in vitæ puritate profecerit, eò melius diuina rimari poterit, & ad maioris perfectionis studium notitiæ, & amoris iugis, & infatigabili studio desudare.

Sed verbū Exercebor, quod Septuaginta fere per verbum ἀδελχίσω expllcare solent, hebraicè est loqui ore, vel corde, id est, meditari, orare, loqui, & confabulari. Quo verbo Scriptura vsa est, cum

Practica  
virtutum  
theoricam  
præit.

Exercebor  
cur  
græcè  
ἀδελχί-  
σω.



cum de Isaac loquens, egressum ait ad meditando. Verum Septuaginta, quamvis verbum græcum ferè accipiatur pro nugari, & garrere in malam partem, sine dubio acceperunt in bonam pro continenti meditatione, & exercitatione. Quomodo & S. Augustinus in bonam legit. In mandatis tuis garram, & S. Ambrosius modo garrere, modo hallucinari vertit. Sunt quæ ita interpretantur, vt Psalmista se cū mandatis Dei, quasi cum intimis amicis colloquia miscere, dulcesque habere sermones innuat. Mihi placet proprietatē quædam significari optimam, dum adhibetur in meditatione mandatorum, quamvis bona non sit in eo, vbi propriè inest. Neque enim nouum est in Scripturis, vt verba, quæ ferè in vitio quodam poni solent, ad laudabilia transferantur, quo proprietates quædam exprimat. Quomodo astutia pro prudentia, & eructare pro depremere cum affectu, quasi ex pleno: & fermentum propter suam efficaciam modo in bonam, modo in malam partem sumitur. Vt igitur significaretur animi delectatio in mandatis, & propensio ad illa meditando, sumitur verbum ab ijs, qui libenter, & effusè, ac prope semper loquuntur. Vt, quæ in illis vitiosa est loquendi incontinentia, in iustis sit laudabilis assiduitas, ijdemque admoneantur, quam in re collocare debeant oblectationes suas, quam

non gra  
erceri. I  
cum an  
assidui  
nendi L  
ludunt.  
quasi ill  
ctum gr  
vespera  
ei vale  
persona  
in auib  
transfer  
Sanctos  
missa m  
titia gef  
occalus  
celebrar  
tu, aut t  
tione, &  
re obedi

E  
VIA  
se ad  
ribus sui  
citur, In  
lus: & ca  
sunt, vic  
longè ex  
bus ad op



non grauatè in sanctis meditationibus exerceri. Et quidem latinum verbum garrere cum auium propriè sit, optimè studium assiduam, & quasi indefessum laudes canendi Deo designat. Hoc enim modo aues ludunt. Quæ etiam siue ad exortum solis, quasi illum salutantes, atque ad eius aspectum gratulabundæ, ac gestientes, siue ad vesperam cum quiescere volunt, tanquam ei vale dicentes garrulo cantu certatim personant. Hanc ergo proprietatem, quæ in auibus vitiosa non est, si ad homines transferamus, perinde erit, ac si dicamus, Sanctos voce nunquam interrupta, aut remissa mirabilia Dei canere; illum præ lætitia gestientes ad perpetuum exortum (Nam occasus ibi nullus est) continuis laudibus celebrare: illius mandata non cum gemitu, aut tristitia, sed cum perpetua exultatione, & promere laudantes, & exprimerent obediētes.

Et considerabo vias tuas.

**V**IAE Dei dici possunt, vel quibus ipse se ad creaturas egreditur, seque in operibus suis manifestat: quomodo forte dicitur, Initium viarum Dei primus Angelus: & cæli, terra, & omnia, quæ creata sunt, viæ Dei hoc modo dicuntur. Sed longe excellentiores etiam viæ sunt, quibus ad opera exiens redemptionis, & glorificationis.

N  
rifica-

Viæ Dei  
operacionis.

Et redem-



*Psal. 64.*

rificationis nostræ se manifestat: ut quodammodo priora opera exitus vesperæ, posteriora hæc exitus matutini liceat appellare. Et in his procul dubio vijs, quæ pulcherrimæ sunt, & inuestigatu supra modum delectabiles exercebatur. Sed alio modo magis literæ consentaneo vias eius

*Et mada-* accipimus semitas, quibus per viam mar-  
*ta eius.* datorum currimus. Quæ viæ Tuæ multis

*Psal. 118.* ex causis, benignissime Deus, appellantur.

*Quæ dicū-* Dicuntur enim viæ tuæ, quia ipse solus su-  
*tur viæ* per eminenti bonitate, & caritate tua per  
*Dei.* scopulos vitæ huius, & prærupta montium

*Primò* viam aperuisti. Dicitur & via tua, quia re-  
*quia ipse* illuminante videtur, ut eam terere inof-  
*cedit.* fenso pede possimus: neque enim sine lu-

*Secundò* ce tua per offusas noctium tenebras viam  
*quia ipse* hanc ambulare licet. Sed est alio modo  
*dat lumē* tua, quia hanc viam ipse munis, ipse cu-

*ad ambu-* stodis. Cura quippè tua munita est, ut non  
*landum.* latrocinentur in ea, qui cælestem mili-

*Tertiò* tiam deseruerunt. Virant enim eam ran-  
*quia cu-* quam supplicium, ut nisi ipsi nos ab ea de-  
*stodit am-* clinemus, atque aliò allecti abripiamur,  
*bulantes.* à desertoribus Spiritibus timendum non

*Prou. 2.* sit: cum diuina vox sit: Castodiet recto-

rum salutem, & proteget gradientes sim-

pliciter, seruans semitas iustitiæ, & vias

Sanctorum custodiens. Has vias, ut tuas

probas, & cognoscis, sicut scriptum est

*Prou. 4.* Vias enim, quæ à dextris sunt nouit Do-

minus. Dicitur & tua via, quia ad te du-

cit,



ait, sicut dicuntur viae Hierusalem, quae Quartæ  
 ad eam ducunt: & via ciuitatis habitaculi, quia ad  
 quam errantes non inueniunt. Siquidem ipsum du-  
 per viam hanc ad te gradimur, & ad te cunt.  
 peruenimus, qui viam fecisti in mari *Ier. 14.*  
 equis tuis in luto aquarum multarum. In- *Psal. 106.*  
 super & tua est, quia in illa & ipse ductor *Habac. 3.*  
 es, & præs, & trahis. Non enim nisi præ-  
 cunte te duce, & trahente eam currere  
 possemus. Hinc Patriarcha Iacob cum  
 ignotus, & in aliena terra peregrinaretur,  
 id præcipuè optauit, vt esset cum eo, & cu-  
 stodiens eum in via per quam ambulabat:  
 panemque ad vescendum, & vestimen- *Gen. 28.*  
 tum ad induendum daret. Deduc me Do- *Psal. 118.*  
 mine in via tua, & in semitam manda-  
 torum tuorum: præcede, & sequar. Non *Exod. 14.*  
 enim Angelo contentus sum, qui me præ-  
 cedat, & deducat; sed ipse propter nomen *Psal. 30.*  
 tuum deduces me, & enutries me. Hæc  
 tria desiderans desiderio: ad hæc toto pe-  
 ctore inhio, ac suspiro, vt præcedens tra-  
 has, & deducas me, alioqui debilem, & sub-  
 sequi non valentem: vt des mihi panem  
 ad vescendum, panem scilicet cæli, viuifi-  
 ficam, & deificam carnem Verbi tui: &  
 vestimentum, quo operiar, ipsas virtutes  
 illius; quo gloriari & ipse possim, & lu-  
 minibus placere tuis, abiecto indumento  
 veteri hominis, iam Christum indatus.  
 Quomodo enim tibi nõ placeam talibus,  
 tam splendidis, tanque odoratis Primogeni-  
 titi



**Gen. 27.**

niti nempe tui vestimentis, non Matris pia fraude, sed Patris, ac Fratris dulcissima largitione contectus? Pulchrè autem in eadem via, cum hæc optaret Patriarcha

**Gen. 28.**

scalam vidit super terram stantem, cælum tangentem: & Angelos Dei, utpote in ministerium viatorum tuorum missos, ascendentes, & descendentes per eam. Sed super omnem gloriam protectio tua est, quia innixus eidem scalæ apparere voluisti: qua peculiarem prouidentiam tuam, & curam, quam de tuis geris, significantissimè ostendisti, semper intentos habes oculos, quibus nos prospicis, regis, gubernas, excitas, afficis, & miro modo pertrahis. Quam felix anima, quæ in hac peregrinatione hac visione donatur? hac protectione dignata est? his gressibus per te ad te festinat, ut audiat Angelorum choros de se non sine admiratione clamantes.

**Cant. 7.**

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis? Verè pulchri gressus, qui per vias incedunt, de quibus scriptum est. Viæ eius viæ pulchræ. Benè in calceamentis, quia calceata est in præparationem Euangelij pacis. Et meritò filia Principis, in qua cælestis indoles, & imago Patris mirum in modum elucet. Hæ sunt igitur viæ, quas attentissima meditatione post exercitium virtutum cogitare debemus.

**Prou. 3.**

16 In  
non  
VER  
can  
nat. y  
dam de  
festiua  
cietur.  
men de  
cebat si  
uerbijs  
Delicia  
vacat,  
& voces  
phasim  
habere  
bemus,  
num, i  
17  
data tu  
status su  
Vnde &  
mis eni  
uertetur  
verum c  
clament  
aurem. I  
ma, ut e  
Audi Ec  
cordabit



16 In iustificationibus tuis meditabor,  
non obliuiscar sermones tuos.

**V**ERBVM meditabor, longè signifi- **Medita-**  
cantius, & dulcius in Hebræa voce so- **bor** Hebr.  
nat. **וּדְבַר**. Innuat enim vox quan- **quasi de-**  
dam delectationem, & propensionem af- **liciabor.**  
fectiuam erga aliquid, in quo anima deli-  
cietur. Vnde in Isaia dicitur. Vir Iuda ger- **Isa. 5.**  
men delectabile: in quo scilicet compla-  
cebat sibi, & oblectabatur Deus. Et in Pro-  
uerbijs eadem voce Sapientia loquitur. **Prou. 8.**  
Deliciæ meę esse cum filijs hominum. Nec  
vacat, quod aliqui obseruarunt, radices,  
& voces duplicatas, cuiusmodi est hæc, em-  
phasim quandam, & energiam peculiarem  
habere: cuiusmodi est illud. Vbi nos ha-  
bemus, Speciosus forma præ filijs homi- **Psal. 44.**  
num, in Hebræo legitur reduplicata voce  
**מְדַבֵּר**. Perinde est igitur, ac si dicat. Mā-  
data tua castæ delitiæ meę: in illis oble-  
ctatus sum, & erga ea toto corde affectus. **Eccl. 6.**  
Vnde & de Sapientia dicitur. In nouissi- **Eccl. 30:**  
mis enim inuenies requiem in ea, & con-  
uertetur tibi in oblectationem. Quam, vt  
verum cordis gaudium, super omne oble-  
ctamentum esse idem Sapiens asserit. Ad e-  
dem autem lætitiā hac spirituali afficitur ani-  
ma, vt excedat Deo, sui que obliuiscatur. **Eccl. 5.**  
Audi Ecclesiasten. Non satis, inquit, re-  
cordabitur dierum vitæ suę, eo quod Deus

N. 3. occu-



Qui obli-  
uiscitur  
sui non  
potest ei  
obliuisci.

occupet delicijs cor eius. Ex quo illud efficitur, quod sequitur. Non obliuiscar sermones tuos. Qui enim obliuiscitur sui, sermonum Dei obliuisci non potest: quia à se tota in eos translata cura memoriam illorum continenter innouat, tum vt in illis oblectetur, tum vt illorum obseruatio, & exercitium nunquam intermittatur. O beatam obliuionem, qua quisque se ipsum à proprijs oculis auerit, & te Deum suum toto corde & recordatur, & amplectitur. Ibi enim perpetua memoria perpetuam etiam suauitatem, & oblectationem parit. Tum enim (inquit S. Paulinus) cum defecerit cor meum, & caro mea, id est, actus voluntatis, & fructus carnis meæ; tum iam, vt à corporeis nexibus liber, & à meo corde purgatus, dicere audeam, Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula.

Epist. 3. ad  
Ser.

¶ Ghimel, id est, Plenitudo.

*Octonarius Tertius.*

17 **R**etribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.

18 Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

19 18



19 Incola ego sum in terra : non abscondas à me mandata tua.

20 Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

21 Increpasti superbos : maledicti qui declinant à mandatis tuis.

22 Aufer à me opprobrium, & contemptum : quia testimonia tua exquisiui.

23 Etenim federunt principes, & aduersum me loquebantur : seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

24 Nam & testimonia tua meditatio mea est : & consilium meum iustificationes tuæ.

17 Retribue seruo tuo, viuifica me : & custodiam sermone tuos.

**V**ox Hebræa significat simpliciter retribuere. Qua voce paupertas nostra, & bonitatis diuinæ largitas indicatur. Quia paupertatis donis, atque auxilijs perpetuo indigemus : quæ nobis à diuina bonitate strant.

Retribue significat Primo

N 4. copic-



copiosè tribuenda non diffidimus, & sine  
cessatione petimus. Nam si in rebus cor-  
poralibus ( quoniam anima plus est, quam  
*Luc. 12.* esca, & corpus plus quam vestimentum,  
*Matt. 6.* quæ tamen ipsa ab ipsomet accepimus ) ita  
largiter prouidet, vt volatilia cæli, & li-  
lia agri in exemplum prouidentia nobis  
proponat : idque inde confirmet, quod  
sciat Pater noster, quia his omnibus indi-  
gemus ( Scire autem in Patre, & Patre in-  
dulgentissimo, atque potentissimo sub-  
sidium necessario infert ) quanto igitur  
magis in spiritualibus, cuiusmodi sunt,  
quæ Dauid petit, audaces nos; & vt ita  
dicam, petaces esse conuenit: cum dictum  
*Luc. 11.* sit. Et ego dico vobis, petite, & dabitur  
vobis: Sed is rectè, & fidenter perere audeat,  
qui vicissim sermones Dei custodire con-  
natur.

Secundò, Secundò, potest intèlligi Retribuere  
recessita- que si iterum, iterumque tribuere: quo-  
tem con- modò S. Bernardus de Deo, Tanta, inquit,  
tinuè be- tribuit, & retribuit. Atque hoc modo si-  
nificètia. gnificabit continuationem quandam do-  
nationis, & veluti perpetuum quandam,  
ac perennem donorum fluxum.

Tertiò vt  
re. dat. Vel Tertiò, si accipiamus propriè retri-  
Tertius bo- buere pro reddere, ac vicissim tribuere,  
ra pro ma- meminisse oportet illud Apostoli, Quis  
lis nostris prior dedit illi, & retribuetur ei? Nemo  
&c. quippe potest quicquam prior Deo tri-  
*Rom. 11.* buere, cum illud ipsum, quod ei libentes  
offe-



offerimus, donum illius sit. Sed eo vique diuina bonitas sua misericordia iudicium superat, vt etiam bona pro malis retribuat: & quibus pœnas, ac flagella pro meritis retribuere debebat, ijs dona retribuat: quin etiam pœna ipsa in misericordiam recidat. Sic enim Deum (inquit Nazianzenus) supplicia inferre existimo. Vel certè bonis etiam, quæ ex illius gratia fiunt, bona retribuit, vt obseruantibus mandata ipsius vberiora largiatur, & sua ipse dona remuneret. Retribuit enim, vt ait S. Augustinus, bona nostra merita præueniens manibus suis, quibus nos fecit; & mala merita delens, cauet ne manibus nostris retribuatur, quibus ab eo defecimus.

*Orat. 2. in Pascha.*

*Conf. l. 13. c. 1.*

Viuifica me, vel viuam. Hoc si de resurrectione, qua de morte transferimur in vitam, accipiamus, intelligendum est de homine qui de peccato ad gratiam postulet suscitari. Sed quod magis credo, id propheta ex persona sua, & iustorum intelligit, vt de augmento vitæ, & spiritus intelligatur. Viuificatur enim, qui ad maiores vitæ gradus promouetur. Quem admodum corpus, quod aliunde recipit lumen, etiã tum cum recipit, merito petat. Illumina me: non quod inchoanda sit illuminatio, sed continuanda; cum origo, & conseruatio eius ab illuminãte depēdeat. Atq; adeo perinde erit, ac si precetur Psal-

*Viuifica me, augmentum vitæ petit.*





mista, Perge Domine, perge vsque emitte  
re radios tuos, & de claritate in claritatem  
ad maiorem semper me lucem reforma.  
Inde enim fiet, vt custodiã sermones tuos,  
quos omnino præ mea mortalitatis cor-  
ruptione nisi perpetuò vitale à te robur  
accipiam, & viuificer, seruare non valeo.

18 Reuela oculos meos, & considera-  
bo mirabilia de lege tua.

Petit re-  
moueri  
Passiones

**V**trum rogat, vt velum propriè aufera-  
tur, id est, impedimenta remouean-  
tur, quæ oculos contegunt, vt videre non  
possint, cuiusmodi passiones sunt, ira, tri-  
stitia, desiderium, læritia, & huiusmodi,  
de quibus est dictum? Quamquam hæc, vt  
verum fateamur, excœcant potius, quam  
velant: neque in promptu est velum hu-  
iusmodi remouere cum volumus. An id  
petit, vt augmento maioris lucis, acie-  
que excitatiore, ac purgatiore oculis  
assiduè donetur: vt visus, ac visio ipsa robu-  
stior, & acutior fiat, & interiora penetret;  
de quibus subdit, Considerabo mirabilia  
de lege tua?

Et lumen  
augeri.

Mirabilia porrò quam multa de lege,  
& ex lege ipsa mundis oculis consideran-  
da offeruntur! De lege quidem, rectitudo  
eius, sanctitas, illustratio, delectabilitas,  
præmia, & eiusmodi alia innumera. Ex le-  
ge verò, quæ per illius notitiam patent, &  
con-



contemplatione contingimus, cum scilicet, que Deus cum sanctis suis per singulas generationes egerit, mente purissima per-  
lustramus: cum potentiam ipsius, qua vniuersa gubernat, moderatur, ac regit: cum immensitatem scientiæ eius; & oculum, quem secreta cordium latere non possunt, trementi corde miramur: cum arenam maris, vndarumque numerum dimensum ei, cognitumque puidi cogitamus: cum pluiarum guttas, cum seculorum dies, & horas, cum præterita, futurave vniuersa obstupescentes scientiæ eius afflicte contemplamur: cum ineffabilem clementiam eius consideramus, qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momenti sub ipsius committuntur aspectu, in defessa longanimitate sustentat: cum intuemur vocationem, quia nos nullis præcedentibus meritis, gratia suæ misericordis adsciuit: cum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis cum quodam admirationis intuemur excessu. An non mirabilia sunt hæc, & alia id genus, & omni modo stupendas vt merito instanter petere debeamus, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua?

Quæ materia contemplationis.  
C. 15.

19 Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.

VOX 15 idem significat, quod perierimus peccati: ideoque merito petit de via regredi. doceri.

N 6



doceri. Via enim mandata sunt, per quam in Patriam tendimus. Felix homo, qui peregrinum se, & aduenam in hac terra, non ciuem agnoscit. Peregrinos quippe se omnes Patres, & Sancti agnouerunt super

*Gen. 47.*

terram, Vnde Iacob, Dies peregrinationis meae, inquit, centum triginta annorum sunt, parui, & mali: & non peruenerunt vsque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt. Et Iob. Diuidit

*Iob. 28.*

*Psal. 38.*

*Ps. 119.*

torrens a populo peregrinante. Et Psalmographus. Advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei. Qui & alibi conqueritur. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et Apostolus,

*2. Cor. 5.*

Quandiu sumus, inquit, in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Quod si Patres eius meminissent patriae, vnde discesserant, habebant vtique tempus reuertendi: sed meliorem appetebant, id est, caelestem: propter quam Sancti omnes cum Apostolo magis cupiunt peregrinari a corpore, &

*Phil. 3.*

praesentes esse ad Dominum. Beata peregrinatio a corpore, siue cum mente, exc-

*2. Cor. 10.*

dimus Deo, & conuersatio nostra in caelis est, dum adhuc in carne viuentes, non secundum carnem militamus: siue cum deposita corporeae sarcina molis perfectae a corpore peregrinamur. Qua felici peregrinatione peregrinationi finis imponitur, praesentiae Dei fit initium.

Sed non est peregrinationis huius consideratio



deratio leuiter percurrentia. Habet enim **Incōm-**  
 huius vitæ peregrinatio corporalis inter- **da huius**  
 dum commoda, quæ peregrinatio San- **peregrini-**  
 ctorum ignorat. Contingit enim sæpe **nationis.**  
 peregrinantibus, vt ad meliores vrbes, in-  
 clytasque magis, & opulentas accedant,  
 quam sit Patria, quam reliquerunt. At pa-  
 triæ nostræ, ad quam suspiramus, quæ par-  
 quæ similis ciuitas esse possit? Deinde in-  
 ueniunt frequenter hi peregrini viæ co-  
 mites ditiores, & humaniores, quam in  
 sua patria nancisci potuissent. Ad hæc cō-  
 tingit interdum in via fontes, arbores, &  
 amœnitates inuenire, in quibus fessi tan-  
 tisper recreentur, & ad reliquum itineris  
 vires instaurent. At hic, si quæ huiusmodi  
 amœnitates occurrant, omnino impe-  
 diunt ab itinere; nec reficiunt vires, sed po-  
 tius languescunt, & debilitant: vt quod  
 reliquum est itineris, tardius, & langu-  
 dius prosequamur. Tum viæ saltem regie  
 munitæ sunt, & ab insidiatoribus liberæ.  
 At hic nulla in se, rata, nulla non infesta,  
 latrunculis obsidentibus, & insidiantibus, **1. Reg 30.**  
 & hominibus, & Angelis defensoribus. Id-  
 que ad cumulum miserationum accedit; vt,  
 si vel innumeri sint Viatores, nemo alium  
 possit defendere. Illi præterea in singulis  
 hospitibus, ad quæ diuertunt, refectionem,  
 & quietem paratam inueniunt. Hic nihil  
 cuiusmodi, nisi aliundè aduehatur, suppe-  
 ditat. Tandem si quid contigerit peccare,



*Pfal. 138.***Commo-  
da eiudē  
peregrina-  
tionis****Primò via  
recta.***Isa. 35.**Ecc. 7.***Secundò,  
Rex dif-  
ficultates  
compla-  
nat.***Isai. 40.**Luc. 3.**Iosue 3.**Gen. 14.***Tertiò,  
Ex patria  
eibus af-  
fertur.***Dan. 14.*

vt assolet, diuersa loca mutantes, & ex-  
nuius ditione Principis, in ditionem alte-  
rius migrantes, impunes interdum esse  
possunt. At hic, Princeps, & Rex, vbiun-  
que tandem fueris, vnus est: vt, siue ascen-  
das in cælum, siue descendas in infer-  
num, siue auroræ pennas assumas, siue ha-  
bites in extremis maris, semper in ma-  
nu illius sis. Vides ergo quam longè in-  
felicior hæc peregrinatio sit animo-  
rum, quam illa sit corporum. Sed am-  
plectenda summopere est tua misericor-  
dia Deus, qui etiam hanc peregrinatio-  
nem tuis auxilijs, & mille delicijs non de-  
stituit.

Primùm enim via recta est, & trita: vt nec  
stulti errent per eam, nisi qui volentes ab  
ea recedunt; vltroque se quæstionibus in-  
finitis, & doloribus, & angoribus miscent.  
Secundò, difficultates itineris, mon-  
tium, vallium, fluminum, spinarum, &  
ceteræ, à te Rege clementissimo compla-  
nantur. Erunt enim, inquit, praua in-  
directa, & aspera in vias planas, ita vt &  
flumina ante pedes peregrinorum exsic-  
centur, & mare aperiatur iter præbens po-  
pulo terræ.

Tertiò, ex ipsa Ciuitate, & Patria pe-  
regriantibus affertur perpetuò cibis, vt  
etiam in lacu Leonum degenti capillo ca-  
pitis Prophetam cum cibo Angelus appor-  
tet. Quis explicet horum ciborum deli-  
cias?



cias? Quis salubritatem? Quis nutrimenta, viresque satis cogitatione comprehendat? Cuncta dixit, qui dixit: A patria perferri.

Adiunt semper à te missi custodes, qui peregrinantes perpetuò in omnibus vijs tueantur, & seruent: & non solum ne ad lapides offendant diligenter caueant, sed etiam in manibus portent. Neque hoc tantum, sed etiam blandè comitentur, dulcissimis alloquijs recreent, imò & canticis oblectent: quibus cum liceat etiam in terra aliena, & super flumina Babylonis cantare Canticum Domini. Neque enim verendum est, ne illud ingeratur. Quomodo cantabitis Canticum Domini in terra aliena? Cantant enim nobis Canticum Moysi serui Dei, & Canticum Agni: & narrant de pulchritudine patriæ, de splendore, & lumine, de chrySTALLINI fluminis impetu, de ligno vitæ, de ciborum dulcedine, & affluentia, ita vt omne tedium depellant.

Quintò, neque pluuiarum, imbriumq; iniurias fideles hi peregrini tui Domine pertimescunt. Quippe sub vmbra alarum tuarum positos, neque per diem sol vret illos, neque luna per noctem. Tu ipse factus es eis vmbra ab æstu, & spes à turbine, ita vt incedentes laudent nomen sanctum tuum, & super omnem gloriam protectioni tuæ subsint.

Sextò,

Quartò, custodes ad sunt.

*Psal. 90.*

*Psal. 136.*

*Apoc. 15.*

Quintò, Vmbra ab iniurijs tempestatum.

*Psal. 120.*

*Isai 4.*



Sextò, sē-  
per licet  
progredi.

Sextò, præterea peregrinationis istius  
visibilis peregrini dum quiescunt, dor-  
miunt, aut agrotant, non promouent,  
nec ad destinatum locum propinquant.  
At in peregrinatione Sanctorum, quia af-  
fectibus ambulant, & desiderijs currunt,  
etiam quiescentes, dormientes, decum-  
bentes iter faciunt, eoque velocius, quod  
ad patriam non ad alias orbis partes re-  
ctissimè tendunt.

Septimò,  
ipse Do-  
minus  
præit.

LUC. 24.

Septimò tandem, ipse præis itineris dux  
idem, & comes: & quanquam, vt olim  
peregrinantibus in Emmaus, ignotus in-  
terdum adderis comes, oculis tamen fidei,  
qui non tenentur ne te agnoscant mani-  
festus es: nec solum Scripturas referans, sed  
panem frangens agnosceris, diligeris, &  
teneris. Quid autem mirum si itineranti-  
bus te comitem adiungis dulcissimè IESU?  
qui etiam pueris in camino ignis cō-  
stitutus quartus addi voluisti? Et quartus,  
inquit, erat similis filio Dei. Quare & for-  
nacis flammis in ventum roris flantem  
mirabili conuersione mutasti, vt, qui igne  
cremādi venerāt, illæsi laudatores tui per-  
manerent. Petit autem hic peregrinus non  
abscondi à se mandata, id est, ne quid vn-  
quam tale committat, vnde mereatur ef-  
ficaci mandatorum cognitione priuari,  
vti supra rogauerat, ne à mandatis repel-  
leretur. Vel petit non abscondi, id est, per-  
seueranter manifestari, vt sapius expli-  
catum.

Dan. 3.



catum est, quo maiori lumine plura cognoscat.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

Mirum sanè est, cum sint in anima concupiscentia, & desiderium, quomodo concupiscat desiderare, id est, id desideret, quod iam habet. Quippe desiderium propriè rei absentis est, sicuti gaudium, delectatio, & fruitio rei præsens sunt: amor autem & absentis, & præsens.

Quomodo cupiat anima desiderare.

An concupiscentia quædam (vt ait S. Augustinus) à desiderio differt, & esse potest etiam rerum, quæ habentur: quemadmodum diligit dilectionem suam, ita concupiscit desiderium, id est, amat se desiderare, suoque desiderio delectatur, & fruitur?

Prima expositio. S. Arg. hoc loco.

An iustificationes Dei, vt ait idem Sanctus etiam quando sciuntur, & non fiunt, absentes habendæ sunt: Sæpe enim quid agendum sit, videmus, nec agimus: quia non delectat vt agamus: & concupimus, vt delectet. Præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atque infirmus affectus. Ideò ergo desiderare concupiscebat, quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem.

Secunda.



tionem quorum potuit videre rationem.  
Hæc ille.

**Tertia.**

An aliud nihil significatur geminatione hac, Concupiscit anima mea desiderare, quam vehementia desiderij, vt eo loco, Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, & alijs similibus?

**Quarta.**

Sed fortè expeditius, aptiusque dicemus huius concupiscentiæ finem, & obiectum non esse desiderare simpliciter, sed desiderare omni tempore, quod sanè nondum obtinuerat: memor autem infirmitatis humanæ; atque sollicitus, ne quando desiderium refrigescat, desiderare concupiscit omni tempore, in prosperis, in aduersis, sine intermissione vlla: vt nullum momentum (inquit Ambrosius) bonæ prætereat vacuum cupiditatis.

**Quinta.**

Videtur tamen adhuc facilior intellectus, & dulcior, si eo modo intelligamus, quo aliquid dicimur quærere etiam inuentum; cum desiderio, amorique nostro minime potest satisfieri, nisi magis, & magis requirat, quod amplius, & amplius inueniri potest. Non enim sine causa de Domino dictum est. Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.

**Psal. 104.**

**Psal. 26.**

Et item. Tibi dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quid enim est, quærere, & confirmamini, nisi constanter, & sine fatigatione amplius, & amplius quærere? De hac quærere



sitione sic dulcissime S. Bernardus. Magnū donum querere Deum. Ego hoc nulli in bonis animę secundum existimo Primum in donis, vltimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla precedit? Cui precedat, quę omniū magis consummatio est? Quę enim virtus adscribi possit non querenti Deum, aut quis terminus querenti Deum? Querite, inquit, faciē eius semper. Existimo, quia nec cū inuentus fuerit, cessabitur a querendo. Non pedum passibus, sed desiderijs queritur Deus. Et vtique non extendit desiderium sanctum felix inuentio, sed extendit. Nunquid consummatio gaudij, desiderij consumptio est? oleum magis est illi. nam ipsum flamma. Sic est. Adimplebitur lætitia, sed desiderij non erit finis, ac per hoc nec querendi. Hactenus Bernardus. Ergo in modo perfectiori res tota est. Nam & Moyse dicitur Deus locutus facie ad faciem, sicut solet amicus cum amico: & tamen idem dicebat. Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam. Et videbat ergo, & videre desiderabat: sed alius est ille modus videndi, quem cupiebat, de quo & audiuit. Non videbit me homo, & viuet. Ita & hic, & concupiscit desiderare, & habet desiderium, sed alio modo habet, alio modo habere desiderat. Neque huic concupiscentiæ, aut desiderio modus ponendus est.

*Serm. 84.  
in Cassin.  
tio.*

*Exod. 33.*



est, donec de claritate in claritatem progressi, tandem in aeternum diem introeamus, & toti absorbeamur à luce.

21. Increpasti superbos; maledicti, qui declinant à mandatis tuis.

Increpatio Dei  
terribilis.

*Psal. 9.* &  
105.

*Nah. 1.*

Item maledictio.

*Jer. 29.*

*Isai. 24.*

*Eccl. 3.*

**D**Vra vox increpasti. Nam idem Propheta, Increpasti, inquit, gentes, & perijt impius. Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est. Et Naum Increpans, inquit, mare, & exsiccat illud, & omnia flumina in desertum adducens. Vide quid faciat Dei increpatio: Quinquam verbum Hebraum significat etiam disperdere, & corrumpere. Sed durum nimis, quod sequitur, Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Verbum planè asperum maledictio. Vnde Ieremias ex persona Domini. Dabo, inquit, eos in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus. Et Isaias, Maledictionem Domini deuorasse terram asserit. Denique si maledictio matris (vt est in Ecclesiastico) fundamenta domus eradicat, quid faciat maledictio Dei? Ergo & increpatio, & maledictio super superbo, qui declinant à mandatis Dei. Superbi enim sunt, qui sese Deo auctori non humiliter subdunt. Superbos autem meritò increpat, & maledicit Dominus, quos, & odisse pronuntiatur, iisque quod



quod tremendum est, omnino resi- *Iac. 4.*  
tere.

Merito hæc inquam. Primùm ob iniu- *Quam*  
stítiam. Quid enim iniustius, quam illi *graue*  
per contumaciam non subdi, & humiliter *peccatum*  
obedire, cui omnia seruiunt; à quo non so- *superbia.*  
lum factus sis, sed in quo viuis, & moue- *Act. 17.*  
ris, & es?

Secundò ob fœditatem, quia à regula *Apoc. 12.*  
rectitudinis discedentes fœdissimi fiunt:  
quod videre facîle est in Angelo, qui à  
tanta pulchritudine in deformitatem tan-  
tam per superbiam corruit.

Tertiò ob ingratitude, quia cum  
abeo, quod sunt, quod viuunt, quod spi-  
rant, acceperint, illi grati animi vices tam  
male rependunt, vt dicant. Labia nostra  
à nobis sunt, quis noster Dominus est? Et  
item. Quis est Dominus, vt seruiamus *Psal. 11.*  
ei?

Quartò ob errorem intolerabilem, &  
mendacium, quod primæ veritati summè *Galat. 6.*  
displicet, quia mentiuntur, & decipiunt se-  
metipsos, putantes se aliquid esse cum ni-  
hil sint. Et tamen in diuite, & potente, vt  
ait S. Bernardus, tolerabilior est superbia, *S. Bern.*  
quia cognata potentibus esse cognoscitur. *ser. 54. in*  
Quid de me exigendum (ait iste Pater) & *Cant.*  
mifero, & superbo? Cogitentur exempla  
cum insigni tremore, & primi Angeli, &  
primi parentis nostri; vnde, & quo excide-  
rint. Nec verò duntaxat maledicti superbi,  
qui



qui per elationem subijci Deo recusant, sed quicumque declinant, & exerrant à mandatis diuinis maledicti: qui etiam omnes quatenus nolunt obtemperare, & quidlibet aliud mandatis Dei præponunt, contumaces sunt, & superbi.

22 Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.

**A**Vfer hebraicè, Depone, quod habet emphasim, quasi opprobrium, & contemptum sicut vestimentum induisset. Quod sequitur, S. Augustinus ex persona Martyrum accipit, vt explicetur, rationem, & causam opprobrii, atque contemptus, fuisse confessionem fidei, & testimonia Dei. Quod & verissimum est, & congruit cum sequentibus. Etenim sederunt Principes, &c. quia Tyranni, & Principes huius seculi eos propterea persecuti sunt. Sed si, Testimonia tua exquisiui, accipiamus non vt causam opprobrii, sed petitionis, & fiducia impetrandi, erit sensus, idcirco se meritò liberationem ab opprobrio postulare, quia testimonia exquisiuit, Hebraicè, custodiuit. Quod in idem recidit. Nam exquirendo custodiebat, & custodiendo exquirebat. Sed parum est Sanctis esse opprobrio, & contemptui hominibus, quod & beatitudinem putant,

Opprobrium hominum  
Sanctis  
optabile.



putant, iuxta Domini pronuntiatum. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, *Matth. 5.*  
Et Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et Beatus Petrus. Si exprobramini, inquit, *1. Pet. 4.* in nomine Christi beati eritis. Neque id opprobrium putat: sed subdit. Quoniam quod est honoris, gloriae, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit. Et, Si, vt christianus quis patitur, glorificet Deum in isto nomine.

Sed est aliud opprobrium, quod à primo Parente iaduimus longè magis intuisum Sanctis, & cuius reliquias assidue in se gemunt. Caue (inquit S. Ambrosius) ne Christo opprobrio sis: id est, ne tu christianus cum sis, vitæ tuæ fœlitate videaris esse dedecori Duci tuo. Nec te ille dignum opprobrio ducat. Nolo, inquit, mihi quicumque maledicat, & quasi peccatorem despiciat: quam graue, si Christus dignum opprobrio ducat! Nos ergo agamus, vt à nobis auferatur opprobrium. Quis autem est, qui non est opprobrio dignus? qui exquisiuit Dei testimonia. Inique concupiscentias pati, vnde frequenter displiceat Deo, opprobrium Adami sustinere, imaginem conditoris fœdasse & cum in tanto honore esset, comparatum esse iumentis insipientibus, & similibus illis factum, hoc est, quod vir Dei vehementer

Sed opprobrium corruptelae humanae, & peccatorum fugiunt.

*Psal 48.*



hementer ingemisci: hoc paulatim exuere opprobrium per obseruationem mandatorum, & reformationem regiae illius imaginis perpetuo satagit. Quid enim nobili, animiq; magni viro durius, quam opprobrium fieri, & contemptui? Sed quantum opprobrium, vt ad imaginem Dei factus commutarit in ignominiam gloriæ suæ. O humilitatem maximam, o fœditatem inexcogitabilem! Vnde, quo recidimus

*Ser. 10. in  
Ps. 118.*

Vide quæ S. Ambrosius de præstantia hominis magnificè disserit, dum explicat versiculum. Manus tuæ fecerunt me. Vbi inter cetera, cum secundum lectionem Septuaginta Interpretum attulisset locum

*Prou. 10.*

ex Prouerbijs. Grande homo, & pretiosum vir misericors. Disce, inquit, homo vbi grandis, & pretiosus sis. Vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretiosum. An quicquam tam pretiosum, quam imago Dei. Et mox. Magnum ergo opus Dei es homo magnum est, quod dedit tibi Deus. Vide, ne quod Deus tribuit, amittas. Id itaque est, quod deflet vir iustus, amisisse, quod tribuerat Deus. Deflet degenerem ex præuicatore Patre conditionem, deflet opprobrium, deflet sustinuisse contemptum, quo Deo, & Angelis eius veluti sobria inutilis, & immunda reputetur; nisi vigore gratiæ, obseruatione mandatorum Dei, & assidua illius operatione iterum  
sic.



IN PSAL. CXVIII.

313

frequentissimè inspiretur in faciem eius Nobilitas  
 spiraculum vitæ: & reformetur non iam hominis  
 in animam viuentem, sed in spiritum vi- *ex imagi-*  
 uificantem: vt conditionem nobilitatis *ne Dei.*  
 suæ, ad imaginem Dei reformatus, valeat *Gen. 2.*  
 retinere. Nam, vt ait S. Leo. Si fideliter  
 atque sapienter creationis nostræ intelli-  
 gamus exordium, inueniemus hominem *Ser. 1. de*  
 idco ad imaginem Dei conditum, vt imi- *ieiu. dec.*  
 tator sui esset autoris; & hanc esse natura- *mensis.*  
 lem nostri generis dignitatem, si in nobis  
 quasi in quodam speculo diuinæ benigni-  
 tatis forma resplendat. Ad quam quo-  
 tidie nos vtique reparat gratia Saluatoris;  
 dum, quod cecidit in Adam primo, eri- *Ep'ies. 4.*  
 gitur in secundo. Atque ideo Sanctis quo-  
 tidie ad laborandum est, vt exuentes ve-  
 terem hominem, nouum induant; & eius  
 qui de celo est, formam diligentissimis,  
 vniuscuiusque lineamentis repræsentent. Tunc  
 opprobrium à nobis, & contemptus au-  
 ferentur, si dignitatem nostram, Dei si-  
 militudinem quotidie specularantes, id est,  
 speculo repræsentantes, coram Deo, &  
 Angelis eius intus, vbi ipse solus videt,  
 facti sumus reformati: ipsamque imagi-  
 nem nitidam, atque expressam portauimus,  
 quam initio acceptam, maleque  
 custoditam tetra fœlitate turpauimus.

○ 23 Etenim



23 Etenim sederunt Principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

**Tyranni, & Dæmones contra iustos.** **S**I accipiamus Principes, & Reges huius seculi, certum est eos de solio potestatis contra Martyres Christi exarsisse, qui tamen à iustificationibus Dei, & confessione fidei nunquam recessere. Sed & illud dubium non est, homines iustos, & seruituti Dei subditos persecutionem ab amatoribus seculi quotidie perpeti eo maiorem, quòd ij, qui eos persequuntur, sublimius sedent. Sed longè periculosius, subtilius, & frequentius seruos Dei insectantur Principes tenebrarum, quos Apostolus principes, & potestates, rectores mundi, & Dei huius seculi appellat. De quibus conqueritur Psalmista, cum Domino dicit. **Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me ab altitudine.** Sic enim Hebræi connectunt. **Contra hos ergo Principes, qui dicuntur sedere, siue ob altitudinem nature, & potestatis, siue vt consultant contra nos tanquam in concilio iniquitatis, siue vt sedeant insidiantes, sicut scriptum est. Sedit in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Cõtra hos, inquam, perpetuò nobis ad Dominum clamandũ est, Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus**

**Heb. 6.**

**2. Cor. 4.**

**Psal. 55.**

**Psal. 10.**



versus tales Principes, quos nec videre, nec cauere, nec sustinere possimus, nisi perpetuo diuinæ misericordiæ & lumine fulciamur, & viribus.

Quod autem sequitur. Seruus autem tuus exercebatur, siue meditabatur in iustificationibus tuis, vel potest sonare Sanctorum constantiam, & fortitudinē, qui in omnibus his impugnationibus non permittant se subijci: vel certè ratio affertur, quare protectionem Dei cōtra eiusmodi impugnationes fidenter petit. Quia nimirum exercetur in iustificationibus Dei, à quibus nullo modo se sinat abduci. Significatur & illud, tum maximè tempus esse diuina eloquia recolendi, cum oppugnationes siue à Dæmonibus, siue ab hominibus inferuntur. Quod autem pulchrius certamen, gratiusque spectaculum celestium oculis, quam inde molliter sedens in pestilentia cathedra persecutor, hinc Dei seruus in Dei iustificationibus duriter se exercens? Inde impius obtrectans, & maledicens Iusto, hinc Deo, atque etiam obtrectatori suo benedicens Iustus?

Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

HEBRAEIS significantius, Testimonia tua deliciae meae, viri consilij mei. Duas ostendit utilitates ex assidua  
Meditatio legis diuinae deliciae iustum sto.





tum meditatione, tum exercitatione testimoniorum Dei, Delicias scilicet, & Consilium. Quippe nutriunt, & oblectant, ut sunt verè cibus animæ: & illuminant, atque prudentes faciunt: contraque præcipationem ubique nos, & in singulis rebus rectissimo consilio, quod egregium Dei munus est, regunt, atque communiunt. Felices animæ, quæ ibi pascuntur.

*Psal. 22.* Super aquam refectiois, inquit, educauit me. Et Ezechiel. In pascuis vberimis pas-

*Ezech. 34.* scam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis vi-

rentibus, & in pascuis pinguibus pascuntur. De hac pinguedine deliciarum, & celesti

*Isai. 30.* nutrimento sic præcinit Isaias futurum in adventu Domini. In die illo pascetur in

possessione tua agnus spatiosè. Agni videlicet innocentes, & qui pastorem sequuntur, alienorum autem vocem non audiunt.

Hi pascuntur spatiosè, id est, latissimè in Scripturis, & mandatis Dei. Et tauri tui (id est, fortes, & robusti quique) & pulli asinorum (id est, rudes alioqui, & natura tardiores. O liberalitatem, & condescensionem) qui operantur terram (id est, excolunt corpus suum, & laboribus tarditatem ingenij compensant: proque bona voluntate, quamvis destituantur ingenio, saturantur) commissum migma comedent, & saturabuntur, ut laudent Dominum requirentes eum. Et siue ingrediatur ad lib-

*Joan. 10.* tiora



tiliora, & mystica penetranda; siue ad  
faciliora, & moralia egrediantur felicissi-  
mè pascua inuenient. *Quis* explicet san-  
ctas, castasque delicias, quas Sancti expe-  
riuntur, cum verba Dei masticant, rumi-  
nant, gustant, glutunt, saginantur? Et *Psal. 57.*  
iusti, inquit, epulentur, & exultent in  
conspectu Dei, & delectentur in lætitia.

Altèra utilitas ex meditatione manda-  
torum est, vt sint ipsa consilium, hoc est  
consiliarij. Hoc enim significat. Viri con-  
siliij. Cum his agit seruus Dei, cum his  
colloquia miscet, cum his communicat,  
que agenda, quæque cauenda sint. O cõ-  
siliium lucidissimum, ò consiliarios sapien-  
tissimos, & integerrimos puerilitati no-  
stræ, præcipationique singulari pietate  
donatos. Certè non alia re magis, quam  
consilio indigemus. Nam in singulis mo-  
mentis errare possumus. Væ tibi terra, in-  
quit, cuius Rex puer est. Ecce animus no-  
ster, cuius regere est, & puer est. Non sunt  
autem hi consiliarij qui, vt stulti Princi-  
pes Taneos, & Mempheos, dent consilium  
inspiens. Principes sunt à sapientia con-  
stituit. Cauè, ne sine consilio horum quic-  
quam aggrediaris. Quod quam necesse sit, *Vitia ali-*  
inde vel maximè patet, quod sub virtutù *quando*  
immagine interdum vitia delitescunt. Ali- *sub ima-*  
quando enim quasi pium quid hostis infi- *gine vit-*  
dians simulat, vt ad crudelitatis terminum *tutis.*  
deducat. Sicut est cum plecti per discipli-  
*S. Greg. 3.*

Mandata  
Dei consi-  
liarij sunt  
iusto.

*Eccl. 10.*

*Isai 19.*

*S. Greg. 3.*



mor. cap.  
vlt.

nam culpam prohibet quatenus quæ hic non reprimatur, igne gehennæ feriatur. Aliquando discretionis imaginem oculis obijcit, vt ad indiscretionis laqueos perducatur. Sicut est, cum impulsu eius, pro infirmitate nobis plus alimentorum, quasi discretè concedimus, sed indiscretè contra nos bella carnis excitamus. Aliquando affectum simulat bonorum operum, sed per hunc inquietudinem irrogat laborum. Sicut est, cum quiescere non valet, & quasi de otio iudicari timet. Aliquando imaginem humilitatis ostendit, vt effectum utilitatis subtrahat. Sicut est cum quosdam plusquam sunt, infirmos, atque inutiles sibi metipsis asserit; vt, dum se nimis indignos considerant, res, in quibus prodesse proximis poterant, ministrare pertimescant. Sic pulchrè S. Gregorius.

Præmē-  
da diffi-  
cultates.  
Ecl. 32.

Iob 39.

Lib. 31. c.  
16. in Iob.

Sed debet vir prudens non solum cum consilio facere omnia, ne cum pœnitentiæ sed etiam longè prospicere suborientium difficultatum occurfus, & incurfus. Vnde sub typo acris equi de sancto viro legitur. Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus. Bellum quippè procul odorari (inquit S. Gregor. est aduersa quæque longè adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improuisa superare.) Quod non de aduersitatibus tantum, & persecutionibus sentiendum, sed multò magis de imminenti-  
bus.



bus tentationibus, & antiqui hostis occultissimis insidijs: quæ longè præuidenda sunt, vt arma opportunè corripiamus. *Et tentationes.*  
 Quam ob causam in laudibus Sponsæ dicitur in cantico epithalamij. Nasus tuus sicut *Cant. 7.*  
 turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Per nasum autem, vt ait S. Dionysius Areopagita, acuta discernendi vis in spiritualibus significatur. Quæ per turrim Libani intelligitur, tum propter fortitudinem, & rectitudinem, tum propter candorem, quod Libanus significat, & exactam sinceritatem. Respicere autem dicitur cōtra Damascum, quia contra hostem, qui merito similitudo incendij (hoc est enim Damascus) vocatur, ad speculationem, & tutelam erecta est. Nec à proposito dissidet, quod oculi Sponsæ, quia acutè prospiciunt, sicut columbæ dicuntur, quæ lacte sunt lotæ, & *Cant. 5.*  
 resident iuxta fluenta plenissima. Nam in eiusmodi fluentis nō solum sitim extinguunt, sed etiam venientem accipitrem in aqua limpidissima, vt caueant, intuentur. Quæ curæ assiduitas, cum & necessaria, & molestissima sit (inde enim Propheta conqueritur, *Psal. 126.*  
 Quamdiu ponam consilia in anima mea? ac si dicat. Quamdiu in ea vita versabor, vbi ne ad momentum quidem ob ingentia pericula viuere sine consilio liceat) Meritò Sapiens laudibus huius consilij gloriatur: & plurima, quæ ex eo per sapientiam commoda deriuantur, enumerat.



*Sap. 8.* Proposui, inquit, hanc adducere mihi ad  
 Sapientie conuiuendum, sciens, quoniam mecum  
 diuine ef- communicabit de bonis: & erit allocutio  
 fectus. cogitationis, & tædij mei. Habebo pro-  
 pter hanc claritatem ad turbas, & hono-  
 rem apud seniores iuuenis, & acutus inue-  
 niar in iudicio, & in conspectu potentium  
 admirabilis ero: & facies Principum mi-  
 rabuntur me: tacentem me sustinebunt, &  
 loquentem me respicient, & fermocinan-  
 te me plura, manus ori suo imponent.  
 Præterea habebō per hanc immortalita-  
 tem. Vides quam necessarium, & vile sit  
 cōsiliū, quam præclari consiliarij, quam  
 diuina res sapientia? Merito itaque David  
 testimonia Dei in delicias suas, & eiusdem  
 iustificationes in consiliarios suos assu-  
 mit.

7 Daleth, id est, Tabularum, seu  
 Librorum.

*Octonarius Quartus.*

25 **A** Dhæsit pavimento anima  
 mea: viuifica me secundum  
 verbum tuum.

26 Vias meas enunciaui: & exaudi-  
 sti me: doce me iustificationes  
 tuas.

26 Viam



27 Viam iustificationum tuarum  
instrue me : & exercebor in mi-  
rabilibus tuis.

28 Dormitauit anima mea præ tæ-  
dio : confirma me in verbis tuis.

29 Viam iniquitatis amoue à me : &  
de lege tua miserere mei.

30 Viam veritatis elegi : iudicia tua  
non sum oblitus.

31 Adhæsi testimonijs tuis Domine :  
noli me confundere.

32 Viam mandatorum tuorum cu-  
curri, cum dilatasti cor meum.

33 Adhæsit pavimento anima mea :  
viuifica me secundum verbum  
tuum.

Quam misera huius vitæ conditio, vt  
pauimento, vel pulueri adherere co-  
gamur! Sunt qui per hoc intelligant vir-  
tutem humilitatis, ex qua humiliatus me-  
ritò petat viuificari. Alij summum peri-  
culum, & miseriam, de qua erui postu-  
let. Mihi verò longè quid maius & senti-  
re, & conqueri videtur; secundum id,  
quod alibi conqueritur, cum Dominum  
excitat dicens. Exurge, quare obdormis  
Domine, quare facient tuam auertis? &  
Psal. 43.

Anima  
pauimento  
id est cor-  
pori affi-  
xa.

O 5 subdit.



subdit. Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinator est in terra venter noster. Per hanc terram corpus nostrum intelligo, cui affixa nobilissima anima nostra, inde contrahit quicquid difficultatum patitur, & molestiarum. Ac si dicat. Vide Domine humilitatem meam, & laborem meum. Fecisti me secundum animam ad imaginem, & similitudinem tuam: nunc vero adhærens huic puluere, & terræ, corpori scilicet, quod corrumpitur,

*Sap. 9.*

*Galat. 5.*

& aggruat animam, gembundo clamore cogor ad te clamare. Adhæsit pavimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum. Quam triste dissidium, quam periculosa concertatio, caro concupiscens aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem? Quale pavimentum, qualis adhesio? Viuifica me: nam ita viuere mors est. Et mirum sanè quomodo ista duo coniunxeris, spiritum, & limum; substantiam cælestem, & terrenam; ut iure optimo exclamare cum B. Bernardo liceat. O

*Ser. 27. in*

*fi. in Cant.*

humilitas! ô sublimitas! & tabernaculum Cedar, & sanctuarium Dei, & terrenum habitaculum, & cæleste Palatium; & domus lutea, & aula regia: & corpus mortis, & templum lucis: & despectio denique superbis, & Sponsa Christo. Profecto mirabilis facta est scientia hæc ex me. Intolerabilis habitatio hæc super terram, nisi tu reformes me quotidie ad similitudinem tuam.



tuā. Et sicut corpus, quod corrūpitur, aggra-  
 uat animam; & deprimit terrenum hoc  
 pauimentum caelestem substantiam, ita vi-  
 cissim igne tuo bono erigente attollamur  
 per spiritum, - vt ipsa terra quodammodo  
 spiritualis fiat. Neque enim magnum est  
 tibi omnipotenti, qui potens es facere su- *Ephes 3.*  
 perabundanter quam petimus, - aut intel- *Galat. 5.*  
 ligimus secundum virtutem, quæ opera-  
 tur in nobis: & qui dixisti de tenebris lucē  
 splendescere, non est magnum tibi effice-  
 re, vt spiritu ambulantes, desideria carnis  
 non perficiamus. Quod vt prestares, ma- *Euchari-*  
 gnū illud misericordiæ sacramentum *stia reme-*  
 exhibuisti Christe Iesu redemptor meus, & *dium ter-*  
 reformator meus, vt etiam viuificum il- *renæ gra-*  
 lum carbonem, corpus videlicet tuum di- *uitatis.*  
 uinitate ignitum nobis traderes. Vt caro  
 nostra mortalis, ne semper sit mortalis,  
 à tua viuifica igniatur, & deficitur: nec ta-  
 cere possimus laudes tuas, cum Damasce-  
 no clamantes. O mysterium tremendum,  
 o œconomiam indicibilem, o condescen-  
 sionem incomprehensibilem, o visceralē  
 dilectionem in inuestigabilem. Laudent  
 te pro hac misericordia, & superlaudent  
 omnes Angeli, & Sancti tui. Mihi, quam- *Psal. 88.*  
 diu vixero, cantandum est. Misericordias  
 Domini in æternum cantabo, quousque *3. Cor. 3.*  
 tandem reuelata facie sine sacramento, &  
 velamine, & videam te puro in lumine, &  
 fruatur in plena dulcedine.



26 Vias meas enuntiaui, & exaudisti  
me: doce me iustificationes tuas.

**Enuntia-**  
**mus vias**  
**nostras**  
**Deo.** **I**n hac via, per quam ambulo frequen-  
ter erro, deuiro, retrogredior, titubo,  
hæreo, impingo. Quid reliquum ergo est,  
nisi vt necessario vias meas enuntiem tibi?

**Primò**  
**examine**  
**conscien-**  
**tia.** **E**nuntio autem discussione, manifesta-  
tione, directionis petitione. Nam pri-  
mum in lumine tuo viæ meæ arguendæ  
sunt, vt spem salutis concipere possim,  
iuxta quod scriptum est. Veruntamen  
**Iob 13.** vias meas coram eo arguam, & ipse erit  
Saluator meus. Sunt enim hæ viæ, id est,  
omnes actiones meæ explorandæ, vocan-  
**Psal. 6.** dæ in iudicium coram Deo: coram man-  
datorum eius consilio sistendæ: tum per  
singulas noctes perfundenda conscientia  
lacrymis.

**Secundò**  
**cōfessio-**  
**ne.** **D**einde manifestatione, id est, confes-  
sione: vt illas tibi confitear, mihi ipsi  
enumerans, & ob oculos ponens. Nam  
tibi Domine, cuius oculis nuda est abyssus  
humanæ conscientia, quid occultum ef-  
fet in me, etiamsi nollem confiteri tibi?

**S. August.**  
**Conf. l. 10.** **T**e enim mihi absconderem, non me tibi.  
**c. 2.** Dixi confitebor aduersum me impietatem  
**Psal 31.** meam Domino, & tu remisisti impietatem  
peccati mei.

**Tertiò di-**  
**rectionis** **D**eniq; directionis petitione: ideo dixi,  
Doce me iustificationes tuas: quas tamen  
docti



doceri non peterem, si eas penitus igno-  
 rarem: & rursus petendæ non essent, si <sup>petitione.</sup>  
 quantum cupio didicissem. Et exercebar  
 ergo in iustificationibus tuis, & peto ta-  
 men, vt eas doceas me. Sed proficientis  
 hæc vox est (inquit S. Augustinus: ) Non  
 ergo in quibus exercebatur vult à Domi-  
 no discere, sed ab illis ad alia profi-  
 ciendo, veluti crescendo desiderat perue-  
 nire.

Vide autem fructum. Cognitio petiti-  
 nem, petiti- Fructus  
 onem, petiti- enuntia-  
 o exauditionem, exauditio fru- tionis.  
 ctum operata est. Et exaudisti, inquit, me.  
 Quid est exaudisti me? nisi reducendo er-  
 rantem, deducendo deuium, promouen-  
 do retroredientem, stabiliendo tituban-  
 tem, impellendo hærentem; & impingen-  
 tem portando manibus, ne ad lapidem of-  
 fendat. Quis non libenter enuntiet vias  
 suas Domino, cum ex enuntiatione tam  
 vberes fructus colligantur? Non taceat a-  
 nima mea labijs, non taceat corde mani-  
 festare scienti vias suas. Apud te enim *Psal. 36.*  
 gressus nostri diriguntur.

17 Viam iustificationum tuarum in-  
 strue me.

S. Anstus Ambrosius, pro instrue, legit in-  
 sinua. Sed siue dicatur insinua, siue in-  
 strue, parum est. In Hebræo significantius  
 ad verbum, Fac me intelligere, vel consi-  
 derare.



**Petit  
efficax in-  
structio.**

**LUC. 18.**

derare. Multi enim instruuntur, qui ta-  
men nec animaduertunt, nec intelligunt.  
Tales erant Apostoli, cum instrueret eos  
Dominus, quam oportebat eum multa  
pati, & reprobari, & crucifigi: & tamen (in-  
quit Scriptura) erat hoc verbum abscon-  
ditum ab eis: & non intelligebant, quae di-  
cebantur. At hic Propheta non petit tan-  
tum instrui, sed vt efficiat Dominus, vt  
consideret, & intelligat. Et sanè mirum  
est quantopere in hoc toto psalmo petit il-  
luminari, reuelari oculos, instrui, doceri,  
dirigi, & innumera huiusmodi: quae toties  
magno affectu iterat. Nimirum & rei gra-  
uitatem ostendit: & ampliora, & perfe-  
ctiora petit: & simul docet non sufficere se-  
mel accepisse, nisi perpetuò eadem dona  
sua custodiat ipse, qui dedit. Sequitur.

**Et exercebor in mirabilibus  
tuis.**

**Q**uod dupliciter intelligo superiori-  
bus connectendo. Dixerat. Instrue me,  
vel fac me intelligere, iam ostendit, quid  
inde consequatur utilitatis. Fieri enim  
non potest, vt quis in mirabilibus Dei  
exerceatur, nisi ea sapienter intelligat.  
& rursus ostendit animi gratitudinem,  
quamque diligenter diuino muneri re-  
spondeat. Cum enim videret se illumi-  
natum ad ea percipienda, rectè intelli-  
gebat.

**Gratitudo  
est bene  
vti donis.**



bat suarum partium esse tantæ misericordie ipsa exercitatione respondere. Nam illa Deo acceptissima est gratiarum actio, si benè eius donis utaris. Nec tamen leuis, aut perfunctoria hæc exercitatio esse debet. Nam ut ille, qui exercet membra sua palestra (inquit S. Ambrosius) diutius exercet, ut roboret, ita qui exercet mentem suam in Scripturis diuinis, vel in consilijs, diutius exercere debet. Exercetur autem in mirabilibus Dei, intelligendò, meditando, ruminando, admirandò, gratias agendo, laudando, perscrutando, respondendo.

Qualis exercitatio in Dei mirabilibus esse debeat.

Sed quæ sint ista mirabilia non vno modo intelligitur. S. Augustinus intelligit ipsas iustificationes ampliores, quas proficiendo cupit apprehendere. Sunt enim quædam Dei iustificatione ita mirabiles, ut humana infirmitas ab eis, qui experti non sunt, ad eas posse peruenire nequaquam credatur. De se certè sic narrat. Ipsumque Ambrosium felicem quendam hominem secundum seculum opinabar, quem sic tantæ Potestates honorarent, cælibatus tamen eius mihi laboriosus videbatur. Quid autem ille spei gereret, & aduersus ipsius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quidve solaminis in aduersis; & occultum os eius, quod errat in corde eius, quam sapida gaudia de pane tuo (Deū alloquitur) ruminaret, nec

Conf. l. 6. c. 3. Dei mirabilia. Primò, quæ Deus occultè efficit in anima.



conijcere noueram, nec expertus eram. Ita profectò est. Hæc mirabilia, quæ Deus in anima operatur, qui expertus non est, ne conijcere quidem potest.

**Secundò,** Sed possumus intelligere ipsa Dei mandata mirabilia esse, quæ humanus oculus, nisi altè illuminatus non attingit.

**Tertiò,** Si verò accipiamus per legem, & mandata Dei ipsas diuinas scripturas, quæ mysteria tot, ac tanta continent, patet esse admirabilia. Qualia enim sunt, quæ de extensione magnæ huius pellis, id est, celi loquuntur? de illius luminaribus, de fundata terra super nihilum, de posito mari termino? An non planè mirabilia de mirabilibus, quæ fecit in terra Aegypti, in cæpo Taneos, in mari rubro, in deserto? Vbi & manna, & coturnices velut arenam maris exhibuit: & percussit petram in eremo, & fluxerunt aquæ, & adaquauit populum velut in abyssò multa? An non mirabilia, quæ consequuta in Iordanis recessu, & regressione, in exterminatione gentium, in introductione populj in terram fluentem lacte, & melle? & plurima, quæ longum esset recensere, quibus Scriptura sacra ornata est: in quibus virtutes Dei, & magnalia illius manifestissimè elucet.

**Quartò,** Sed si ea, quæ magnis hisce mirabilibus præcipue significata sunt diligentius euoluamus, & sanctè (vt dignum est) reuereamur, apparebit statim, quam longè illa mirabilia sint.



sint. Nam si per exitum ex Aegypto non  
 vnius populi à seruitute Pharaonis, sed to-  
 tius mundi à captiuitate Diaboli libera-  
 tionem decantemus: si liberationem ab  
 exterminatore Angelo, non agni mate-  
 rialis sanguine, sed immaculati, & incon-  
 taminati Agni Christi, Dei filij intelli-  
 gamus: si maris rubri diuisionem, & tran-  
 situm non tam in eleuata virga Mosis,  
 quam in erecta triumphali Cruce sentia-  
 mus: si denique omnia ad spiritum  
 transferentes in locum tabernaculi admi-  
 tabilis vsque ad domum Dei, in voce  
 exultationis, & confessionis transeamus:  
 vbi multa mirabilia in tabernaculo eius,  
 id est, in Ecclesia, & Fidelibus eius cerne-  
 re est, tum in virtutibus, tum in donis;  
 quæ omnia magnalia ipsius sunt: nonne  
 tantò mirabiliora, quantò lux nocte est  
 clarior, cælum sublimius terra, corpus ym-  
 bra solidius?

*Psal. 41.*

Sed quod dicit, Exercebor, Septua-  
 ginta fermè ἀδολιχίσω tran-  
 stulerunt, de quo satis di-  
 ximus suprà. ]

\* \*  
 \*



28 Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

**P**ro dormitavit, S. Ambrosius legit, stillavit. Nec dissimulat Vulgatæ lectionem. Nam aliqui codices, inquit, habent dormitavit, quia εὐσαξεν, dormitavit, & ἔσαξεν, stillavit, duabus literis dissonant. Itaque Antiquarij lapsu putant inrepsisse lectionis varietatem. Vox Hebrea, stillavit, sonat. Explicemus utrumque.

**Dormita-** Dormitare hoc loco est, præ tædio, & angore deficere. Quomodo de quibusdam dicitur. **Psal. 75.** Ab increpatione tua Deus Jacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Sic enim exercitus, & equites solet Dominus, quasi sopore immisso, inutiles reddere. Et solet tædium, & mœror somnū inducere. Inde & Dominus in horto Discipulos præ tristitia dormientes inuenit. Hanc autē animæ dormitationem, siue tædium non rarò etiam sancti viri experiuntur. quod de se S. Augustinus fatetur. **Lib. 10.** Aliquādo, inquit, intromittis me in affectum multum insinuatam introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si in me perficitur, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosa ponderibus: & resorbeor solitis; & tencor, & multum

**Tædia**  
etiam iu-  
sti expe-  
riuntur.  
**Lib. 10.**  
**Conf. c.**  
**40.**



um fleo, sed multum teneor. Tantum  
 consuetudinis sarcina degrauat. Hic esse  
 valeo, nec volo: illic volo, nec valeo. mi-  
 ut utrobique. In hac autem dormitatio-  
 ne vnum est refugium, si ad Dominum  
 In ijs con-  
 curramus; ut ipse ita torpentes, ac præ fugiendū  
 iustitia stupidos trahat. Nam (ut inquit ad Deum.  
 Bernardus) quantæuis perfectionis ani- Ser. 21. 113.  
 ma, quandiu quidem gemit sub corpore Cant.  
 mortis huius; & huius seculi nequam reti-  
 netur inclusa carcere, vinceta necessitatibus,  
 porta sceleribus, lentius, segniu que, assur-  
 at necesse est ad contemplanda sublimia:  
 nec omnino liberū habet sequi Sponsum  
 quocunque ierit. Hinc lacrymosa vox il- Rom. 7.  
 lagementis. Infelix ego homo, quis me  
 liberabit de corpore mortis huius. & non  
 multo post subdit. Propterea opus habeo  
 extrahi, quoniam refriguit paulisper in no-  
 bis ignis amoris tui, nec valemus à facie Ps. 147.  
 frigoris huius currere modo, sicut heri, &  
 paulo tertius. Curremus autem postea,  
 cum reddideris lætitiā salutaris tui: cum Psal. 50.  
 redierit melior temperies gratiæ: cum Sol  
 iustitiæ iterum incaluerit, & pertransierit  
 tentationis nubes, quæ hunc operire ad-  
 horam cernitur: atque ad lenem flatum  
 auræ blandioris, solito cœperint vnguenta Cant. 1.  
 quiescere, & aromata fluere, & dare odo-  
 rem suum. Videnda etiam pulcherrima,  
 quæ sequuntur. Merito ergo in hac dor-  
 mitatione petit anima confirmari  
 in.



in verbis Dei. Vox Confirma, Hebraeis para  
gnificat, confirmare, statuere, erigere, sta-  
bilem reddere, quæ omnia dormitanti-  
nimæ verba Dei præstant. Quippe effica-  
citer excitant vt fortia: expergefaciunt,  
vt luminosa: mulcent, vt dulcia: alliciunt  
ciunt, vt pulchra. Vel dicamus sic, Exer-  
tant compungendo, expergefaciunt illu-  
strando, mulcent blandiando, alliciunt  
pollicendo.

**Stillare** Nunc videamus quid verbum stillare? Da  
animam doceat. Aliqui putant dici animam stillare? Da  
præcedio, per lacrymas: sed melius, ac significantius, præcedio  
est quasi si intelligamus quasi liquefactam stillare? Da  
liquefieri, re, & defluere, vt paulatim absumatur. Hoc reddat  
& absumi, autem modo si languor iste, & defectus accipiatur,  
merito exclamandum est. Con-

**Dulcissi-** firma me in verbis tuis. Tu enim Domine  
**mus con-** solus es, qui tabescentem animam tuam in hydr  
**solator** loquijs confortas, & confirmas. Sed sine inopia  
**Deus,** me paululum loqui tecum puluerem, & con-  
nerem, o Medice meus intime: sine me & con-  
gratias agere humiliter, & petere instanter  
ter, quoniam, & stillat, & deficit spiritus  
meus. Tu Domine conforta illum, qui  
tuis expensis, tua manu, tuis adinventioni-

**2. Reg. 13.** bus forbitiunculas præparas, & cordialitas,  
lia (vt cum Scriptura dicam) cordialitas,  
quibus nutriatur, erigatur, & redimatur,  
& recuperet se à defectu. Sed quales forbiti-  
tunculæ Iesu bone, quam suaves, quam effi-  
ficaces? Dulcis manus tua, qua parantur, qua



Hebraeis... paratae propinantur. Dulcis materia, ex qua fiunt, amaritudines tuae, & san- nitantur. Dulcis ignis caritatis, quo co- ppe effica- Vitalis materia, vitalis ignis, vi- gefaciunt, lis manus. Has parasti in dulcedine tua, Psal. 67. in amaritudine tua? pauperi Deus. Pa- sic, Exco- sti in horto, parasti in flagellis, parasti riant illu- spinis, parasti in Cruce. Quo amore pa- alliciunt- ueris, quibus tuis doloribus, quanta no- ta dulcedine, quis explicet? quis recogi- m stillare- Da mihi Domine fatiscenti, & defi- am stillare- enti praetadio, & infirmitate semper ifficantius- obituunculas istas. Da ut reficiar, omni am stilla- stidio, nauseaque remota. Da ne inuti- natur. Hos reddantur spiritualis caloris defectu. Na- defectus ac- tibi quantumuis vitales, nisi in nutri- est. Con- mentum, sanguinem, & vitales spiritus a Domine- conuertantur, non reficiunt animam. Sed, m tuis ab- in hydrope videmus, ex interioris calo- i. Sed sine- nis inopia, non in nutrimentum, sed in a- rem, & ci- quam conuertuntur: unde vita potius ex- sine me &- inguitur, quam reficitur. Quod mihi sua- re instaur- ilime, ac potentissime Medice, ne con- rit spiritus- tingat, dum cordialia porrigis animae lum, qui- & cor, & hepar eius instaura. inuentio- & cordia- Viam iniquitatis amoue a me: & rdializis, de lege tua miserere mei. dimatur, & les sorbi- quomodo- quam ef- parantur, qua-

Psal. 67.

Viam iniquitatis amoue a me: & de lege tua miserere mei.

Hebraei, pro iniquitatis habent, menda- Iniquitas bene vo- cij. recte. Nam iniquitas mendacium catur me- dadium. Quomo-



*Jerem. 16.* Quomodo idola mendacium vocantur.  
*Psal. 32.* Verè inquit, mendacium possederunt Pa-  
*Rom. 3.* tres nostri. Et fallax dicitur equus ad sala-  
*Psal. 61.* tem. Et homo mendax, quia saluare non  
*Psal. 4.* potest: & quærere mendacium, quia his  
*Psal. 26.* infarciri appetit, quibus nequeat nutrir.  
 Nam quod est verè mendacium, si iniqui-  
 tas non est? quæ mentitur & sibi? quæ blan-  
 ditur, vt eludat? promissa ostendit, vt ca-  
 piat? Quippe Ephraim (id est homines  
 qui temporaliter crescere volunt) sequitur  
 æstum, & pascit ventos. Vel quia ipse  
 ventos pascit, quod stultissimum est, vel  
 quia vento pascitur, quod perniciosissi-  
 mum. Vnde, quod dicitur, Vniuersa vani-  
 tas, & afflictio spiritus, vel præsumptio  
 vt aliqui Patres legunt) commodius in he-  
 bræo legitur, Comestio, vel esus venti.  
 Quicquid ergo à lege diuina deuiat, esus  
 non est ciborum, sed ventorum, qui in-  
 flent non nutriant: vnde homines distor-  
 queantur, non reficiantur. Sed nec illud  
 omittendum est. Quod dicitur. Amoue à  
 me, in Hebræo, aufer, remoue, recedere fac.  
 Sed cur potius ait, remoue à me viam,  
 quam me à via? Ea enim potius remou-  
 uenda, quæ mouentur, quam quæ fixæ  
 sunt. Neque dicimus vsitato modo lo-  
 quendi, recedere fac à me turrim illam,  
 aut montem illum, sed me potius ab illis.  
*S. Ambr.* Verum id non sine causa dictum (notat  
*hoc loco.* S. Ambrosius) tanquam significetur viam  
 illam



IN PSAL. CXVIII.

335

nam mendacij in nobis esse, & nobis in-  
 esse. Ideoque, inquit, studiosè agamus, vt  
 à nobis separemus. Sed quia heredi-  
 tarium iniquitatis glutinum mentibus in-  
 fert humanis, opus est liberantis auxilio.  
 Subdit. Meritoque, quia vulnus gran-  
 de ac vetus est, & diu serpens, perfectioris  
 medicinæ remedia deposcit, obsecrans, vt  
 omni legitima miseratione curetur. Ex  
 hoc facile vir spiritualis aduertat, quam  
 nebundo clamore orandum sit assiduè,  
 via iniquitatis, quæ in nobis esse cogno-  
 scatur, liberatoris manu remoueat; quã  
 diligencia, & industria curandum,  
 non solum in die huiusce tribulationis  
 eum exquiramus, & nocte manibus no-  
 bis contra eum, vt non decipiamur: sed  
 etiam, vt manu instantis custodiæ, & vi-  
 giliantissima depulsione eam depellamus  
 a nobis, quam nobis inesse sentimus.

*Psal 76.*

Sed quod sequitur. De lege tua mise-  
 re mei. In Hebræo non est De, quam-  
 aliqui velint suppleri. sed quia **יהוה**  
 misereri, parcere, largiri, rem gratam  
 petere, gratiosè donare, posset commodè  
 dari, legem tuam misericorditer mihi  
 dæ, vel gratiosè dona. Vt, quoniam  
 largitate donum hoc eximium non  
 tam conceditur, vt lex cognoscatur, sed  
 tam vt seruetur, & ametur, meritò Pro-  
 pheta clamat, Legem tuam dona mihi: ad  
 non solum obseruationem, & affe-  
 ctum

De lege  
 tua pri-  
 ma inter-  
 pretatio.



- ctum, sed etiam notitiam, nisi tuo & lumine illustratus intrinsecus, & amore promotus meis viribus aspirare non possum.
- Secunda interpretatio.** Sanctus Chrysostomus, De lege tua, interpretatur, de more tuo, Dei legem misericordis appellans morem, consuetudinem, & clementiam, qua misereri non desinit. Miserere, mihi Domine, non quomodo homines miserentur miseri, & immisericordes: sed quomodo soles tu, qui pater misericordiarum es, & miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors: & cuius misericordiae non est finis. Vel potest intelligi, De lege tua, ut significetur materia, & id, de quo misericordiam petit; tanquam diceret. Quod attinet ad legem tuam miserere mei. Quomodo potuisset villicus ille Evangelicus dicere Domino suo, de substantia tua, vel de bonis tuis miserere mei, id est, condona, quod circa bona tua deliqui. Ita de lege tua miserere mei, perinde erit ac, Parce mihi clementer ea, quae in legem tuam peccavi, & ex fragilitate adhuc pecco. Et rursus miserere mei gratiam largiendo, ne in multis offendam. Vide confessionem, vide humilitatem, vide orationem. Sed tu Domine Deus idem es, qui propitius omnibus iniquitatibus meis, remittens clementer, quae admisi, & redimis de interitu vitam meam, praeservans ne in interitum ruam. Reple igitur in bonis de-

**Pf. 102.**

**Tertia interpretatio.**

**Luc. 16.**

**Pf. 102.**



fiderium meum, vt legem tuam diligens,  
& mendacium horrens tua manu prote-  
gar, & viuificer. Nam te miserante viam  
mendacij abominatus, viam veritatis  
elegi.

Viam veritatis elegi.

**P**vlchrè viam veritatis, quam elegit,  
via mendacij, & iniquitatis opponit.  
Nam veritas, non vanitas verè liberat.  
Non est via veritatis ( inquit Ambrosius ) *Ioan. 8.*

honor seculi, sollicitudo mundi. Vanitas  
temporalium est, veritas æternorum. Si  
volumus igitur ambulare viam veritatis,  
peregrinemur seculo magis, quam Deo; *2. Cor. 5.*

& ambulemus per fidem. Qui enim per  
fidem ambulat, Deo præsens est, qui au-  
tem per speciem ambulat, adest seculo,  
peregrinatur à Domino. Vani autem  
sunt omnes homines, in quibus non  
est scientia Dei. Porrò eligere est inter  
vira aliquid seligere; &, cum plurima *Sap. 13.*

vera falsis, & vana veris permista sint, sta-  
tere apud se quid præoptandum sit. Eli-  
gimus autem iudicando, & discernendo.  
Vnde prudentia ( inquit S. Augustinus: Prudentiæ  
est autem veram, Christianam, & vti- vera offi-  
cium.

nam prudentiam. Nam iuxta antiquum  
Poetæ, qui sibi sapiens prodesse  
sequit, nequicquam sapit) Est amor acu-  
discernens ea, quæ iuuant ad Deum,  
quæ impediunt. Quod si eligimus  
P tan-



tanquam pulchriora, & meliora, quid eligamus, quid melius diligamus (ait alibi idem Sanctus) quam quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Quæ discretio, atque electio donum Dei est, & magnum donum, ut sciamus pretiosum à vili discernere. Inde Ieremias ex persona Domini. Si separaueris, inquit, pretiosum à vili, quasi os meum eris. Vbi, si sumatur os pro facie, ac vultu, quasi venustate quadam diuini oris, vultusque perfunditur, qui rectè discernit. Si verò pro ore, quo loquimur (vtrumque enim, & hebraica, & latina vox sensum patitur) significat sic hominem aptum fieri magisterio, ut non modo tanquam interpret, sed velut os Dei alios doceat, quæ sit voluntas Domini: & tanquam diuinus canalis eloquiorum cælestium aquas emittat. Verum opus est & sapientiali discretione, & experimentalis gustu, ut etiam ipse homo spiritualis butyrum, & mel comedens sciat reprobare malum, & eligere bonum.

*Isai. 7.*

Iudicia tua non sum oblitus.

Memoria **E**T quomodo obliuiscatur, qui ea dilectum mandato-  
rum assiduam sit. **E**Xit, concupiuit, in corde abscondit, delicias suas, & consiliarios statuit? Perfectio qui hæc præstat, obliuisci non potest. Quæ me-



IN PSAL. CXVIII.

339

memoriae assiduitatem considera quam pulchre Salomon, quamque significanter commendat. Liga, inquit, ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo: cum ambulaueris, gradientur tecum: cum dormieris, custodiant te: & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux: & via vitae increpatio disciplinae.

PROV. 4.

Adhaesi testimonijs tuis Domine, noli me confundere.

Verbum קדף hebraeum significat adhaerere, coniungi, agglutinari, ita ut nihil medium intercedat. Vnde & apud Iob de squammis arctissime sibi coherentibus dicitur, Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhaerebit; & tenentes se nequaquam separabuntur. Sanctus Augustinus in psal. 62. legit. Agglutinata est anima mea post te, & ait. Videte desiderantem, videte sitientem, videte quomodo haereat Deo Nascatur in vobis iste affectus. Si iam germinat compluatur, & crescat; perueniat ad tale robur, ut & vos dicatis ex toto corde, agglutinata est anima mea post te. Vbi est ipsum gluten? ipsum gluten caritas est. Caritas habet, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum. Non post Deum, sed post Deum, ut ille praece-

Caritas  
gluten  
uniens  
Deo.

S. Aug. in  
Psal. 62.



dat, tu sequaris. Hæc S. Augustinus. Hunc  
 ita adhærentem Deo, necesse est & testi-  
 monijs eius adhærere: & qui adhæret te-  
 stimonijs Dei, fieri non potest, quin ipsi  
 Deo arctissimè adhærescat. Nam (vt ait  
 S. Leo) nihil est aliud diligere Deum,  
 quam amare iustitiam. Quam qui dili-  
 git, & diuinis testimonijs adhæret, fi-  
 denter petit, nec dubiè obtinet, ne con-  
 fundatur. Quid autem sit confusio, &  
 quam multiplex, supra dictum est copio-  
 sc.

*Serm. de  
 grad asc.  
 in beat.*

32 Viam mandatorum tuorum cucurri,  
 cum dilatasti cor meum.

*Ambros.* **N**on potest viam Domini currere, cu-  
 ius cor coarctatur angustijs. Et Apo-  
 stolus ait. Cor nostrum dilatatum est: di-  
 latamini & vos. Et de Salomone. Latitudo  
 cordis eius, quasi arena, quæ est in litore  
 maris: & vide distantiam. Via fit angu-  
 stior, cor latius, vt Patris, & Filij, & Spi-  
 ritus sancti sustineat mansionem: ne ve-  
 niat verbum Dei, & pulset, & videns cor-  
 dis eius angustias dedignetur habitare. De-  
 nique sapientia in exitu (id est cum exit  
 in publicum) canit: in plateis cum fidu-  
 cia agit. Plateæ late sunt. Nō igitur in vijs,  
 sed in cordis latitudine Sapientia decātat.  
 Ita S. Ambrosius. Latum verò fit cor eua-  
 cuatione ab occupantibus, & replentibus

*Psalm. 1.*

*Quomo-  
 do cor di-  
 laterur.*



terrenis desiderijs. Quod enim iam plenu est quantumuis alioqui sit latum, capacitatatis nullius est. Latum fit & fiducia, que ad Dei opes participandas illud extendit. Latum caritate, que dilatat finem ad omnes etiam ignotos, etiam inimicos. Latum fit robore diuino, & consolationibus caelestibus. Cordis dilatatio iustitiae est delectatio. Dilatasti, inquit, gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. Et item alibi. Eduxit me in latitudinem. Et, Statuisti in loco spatiofo pedes meos. O quanta illi animae latitudo, inquit, S. Bernardus, quanta, & meritum prerogatiua, que diuinam in se praesentiam & digna inuenitur suscipere, & sufficiens capere. Quid illa, cui & spatia suppetunt, & deambulatoria ad opus quidem maiestatis? Et, cum enumerasset, quibus primò oportet vacuam esse animam, vt caelum fiat, atque habitatio Dei. Deinde necesse est, inquit, eam crescere, & dilatari, vt si capax Dei. Porro latitudo eius, dilectio eius (sicut dicit Apostolus) Dilatamini in caritate. Et mox. Ergo quantitas cuiusque animae aestimetur de mensura caritatis, quam habet. Vt, verbi gratia, quae multum habet caritatis, magna sit: quae parum, parua: quae verò nihil, nihil: dicente Paulo, Si caritatem non habuero, nihil sum.

S. Aug.  
hie.

Psal. 17.

Psal. 30.

Ser. 27. in

Cant.

2. Cor. 6.

1. Cor. 13.

Hanc cordis dilatationem affecuta ani- Anima





dilatata ma, nihil graue æstimat, nihil difficile:  
 currit viã non solum ambulat vias Domini, sed cur-  
 mandato-rit. Ideò ait. Viam mandatorum tuorum  
 rum. cucurri. Nec quomodocumque currunt  
 Sap. 3. Sancti, sed quasi scintillæ in arundineto  
 Ezech. 1. discurrunt. Et Ezechielis animalia velo-  
 cissimo impetu, vtpote pennis, & oculis  
 plena ibant, nec reuertebantur. Et, si in-  
 terdum reuerti videbantur, reuertebantur  
 in similitudinem fulguris coruscantis.  
 Nunc ergo Domine est, vt plorem in sinu  
 tuo vias meas difficiles: & gressuum tardi-  
 tatem etiam in via tua defleam: cordis  
 angustias confitear, & confundar: atque à  
 te, qui abundantia pietatis tuæ & merita  
 supplicum excedis, & vota, qui facis An-  
 gelos tuos spiritus, & ministros tuos igne  
 vrentem, suppliciter & latitudinem cor-  
 dis, & gressus dilatatos, & expeditos, &  
 Psal. 103. cursum celerem, imò & volatum petam.  
 Psal. 54. Da mihi pennas vt Aquilæ, & volabo, &  
 requiescam: da ignitum discursum, vt  
 quasi velox ex concepto igne tuo scintilla  
 ministrem tibi, luceam omnibus: omnes  
 amore tuo succendam.

¶ He, id est, Ista.

*Octonarius Quintus.*

33 **L**egem pone mihi Domine  
 viam iustificationum tua-  
 rum:



rum : & exquiram eam semper.

34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo.

35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

36 Inclina cor meum in testimonia tua : & non in avaritiam.

37 Auerte oculos meos, ne videant vanitatem : in via tua viuifica me.

38 Statue seruo tuo eloquium tuum : in timore tuo.

39 Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum : quia iudicia tua iucunda.

40 Ecce concupiui mandata tua : in æquitate tua viuifica me.

33 Legem pone mihi Domine.

**S**i de lege statuenda, vel promulganda, quæ communiter omnibus datur, ageretur, nec opus esset illam poni, nec unquam diceret mihi; cum illam non modo non ignorat, sed hætenus tantoperè celebrarit.



Sed duplici modo postulat sibi legem poni : & vterque omnino necessarius est.

**Petit in-  
terio-  
rem  
legis no-  
titi-  
am.**

Primò quidem ( ne frustra sonet foris verbum , quod intus à doctore non manifestatur ) petit sibi interno lumine legem poni : quod plurimis versiculis varijs modis efflagitat , nunc quidem rogans reuelari sibi oculos , vt consideret mirabilia de lege Dei : nunc ne abscondantur à se mandata : nunc ne à mandatis repellatur : nunc doceri iustificationes Dei , & multa huiusmodi , quæ sparsim toto hoc psalmo frequentissimè leguntur.

**Et gratiã  
ad opus.**

Secundò , quia notitia etiam interiori illustratione habita non sufficit , nisi gratia sanans præstet implere , quod cognitum est , petit sibi legem poni , deduci in via , gressus suos dirigi , denique moueri ad implendam legem : quæ , cum spiritualis sit ,

**1. Cor. 3.** carnalis homo , & venundatus sub peccato ,

**1. Tim. 1.** eam assequi non potest. Quærit S. August.

**S. August.** stinus hoc loco , cum iusto non sit lex posita , vt Apostolus asserit , cur dicat , legem

**Exod. 34.** pone. Et respondet petere , vt sibi ponatur , non , sicut iniustis , & non subditis ad vetus testamentum pertinentibus posita est in tabulis lapideis : sed , sicut Sanctis , filijs liberæ , hoc est supernæ Hierusalem ; filijs promissionis , filijs hereditatis æternæ , sancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur , & in cordibus scribitur : non quam memoria teneant , & vita negligant : sed



sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo in latitudine amoris, non timoris angustijs. Sed cum iam per eam cucurrerit, vt proximè dixerat, quomodo poni sibi petit? Nimirum quemadmodum si poculum plenum teneas (inquit Augustinus) & sitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poscit desiderando, nempè vt dare ne cesses.

**Viam iustificationum tuarum:**

**R**ursus via monet nos peregrinationis, periculorum, necessitatis, exilij, lacrymarum, suspiriorum, dum à tali patria peregrinamur. Et quia tanti momenti hæc via est, iure optimo petit, vt rationem, ordinem, atque legem eam peragendi, Deus ipse sibi præscribat: quod egregiè S. Ambrosius ex more, ac disciplina militari explicat. Miles, inquit, qui ingreditur iter, viãdi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat à signis: sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud: præscripto incedit ordine: cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, vt inueniat commeantiũ parata sibi subsidia. Si aliò ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit. Vide multa præclare de ductu filiorum Israel per desertũ.

*Sequenda  
via militaris.*

*S. Ambr.*

P. 5 Sed



*Exod. 13.**Isai. 19.*

Sed illud suauissimè de præeunte columna ignis, & nubis, quam viarum legem appellat. Illa, inquit, columna nubis quidem specie præcedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Isaias, hoc est, in Virgine Maria. Illud etiam sanctæ militiæ sectatoribus iucundissimum addit. Si Reges terræ norunt commoda præuidere sequentibus se, quanto magis Deus, qui bonus est, nouit quemadmodum profutura disponat diligentibus se. Ac primum, si incognitum carpendum est iter, duces eliguntur viarum, qui præcurrant agmini, sed hoc Imperatores isti iniuriosum sibi arbitrantur. Deus autem præibat cum Hebræi facerent iter. Hæc ille. Multò autem dulcius præiuit nobis Dominus Iesus cum sua Cruce, & ad sequendum inuitās, & quomodo sequamur, ostendens.

*Et exquiram eam semper.*

*Ser. 9. de Natiuit.*

**H**ebraicè significantius, Et custodiam. Sed exquirendo custodit, & custodiendo exquirat. Sicut illè sitiens, de quo paulò ante Sanctus Augustinus. Nam præclare S. Leo. Nemo, inquit, ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis, etiam si multum proficiat, semper sibi superesse, quod quaerit.



rat. Nam qui se ad id, in quod tendit, peruenisse præsумit, non quæsitâ reperit, sed in inquisitione defecit.

Semper. Non est mediocre, quod requiritur, Paradisi gratia, Dei Regnum, Angelorum consortium, immortalitatisque domicilium. Non ergo vno die quæritur (inquit Ambrosius) nec duobus, aut paucis mensibus, sed quæritur semper, & quæritur per omnia, vt meritorum multa concurrant suffragia. *ὁ παντός* enim & omne tempus significat, & per omnia.

Semper & per omnia quærendum Dei regnum.

Ceterum vox hebræa significat calcaneum: vt sit idem, quod ad calcem, vel ad finem vsque. Significat & vestigium. Itaque posset per appositionem dici. Exquirâ, & custodiam legem, vestigium tuum. Si enim creaturæ vestigia Dei dicuntur, quia ex his licet imperfectè, cognoscitur; multo magis lex, quæ sanctum, iustum, pium, providentem, & gubernantem ostendit.

Vox hebræa etiâ vestigiū significat.

Verum quoniam eadem vox retributionem significat, vt eo loco. In custodiendis illis retributio multa; vbi est eadem vox

Et retributione.

**ἵπυ** Aliqui intelligunt perinde esse, ac si diceretur, propter retributione: quomodo inferius loquitur, inclinasse se cor suum ad faciendas iustificationes Dei propter retributionem. Mihi placet id quoque per appositionem intelligi. Exquiram legem, retributionem: quasi ipsa custodia legis retributio sit, cum fit ex amore. Sicut enim

*Psal. 18.*

Ipsa legis custodia est retributio.



non est parua miseria non amare Deum,  
*Conf. l. 1.* vt S. Augustinus loquitur, ita amare ingēs  
*c. 5. Or. in* fructus est. Hoc ipsum merces est ( inquit  
*S. baptis.* Nazianzenus ) Patri placere, atque infer-  
*Ser. 7. de* uire. Et S. Leo. Diligenti Deum sufficit ei  
*ieiun. 7.* placere, quem diligit : quia nulla maior  
*mens.* expetenda est remuneratio, quam ipsa dile-  
 lectio. Quare pulcherrimè S. Bernardus. Et  
*Ser. 83. in* quidem, inquit, soli Deo honor, & gloria.  
*Cant.* Sed horum neutrum acceptabit Deus, si  
*1. Tim. 1.* melle amoris condita non fuerint. Is per  
 se sufficit, per se placet, & propter se: ipse  
 præmium sibi est amor: præter se non re-  
 quirat causam, non fructum: fructus eius  
 vsus eius: amo, quia amo: & amo, vt amē.  
*Homil. 5.* Et S. Chrysostomus, Amemus igitur illum  
*in Ep. ad* vt amare quidem par est. Hoc enim ma-  
*Rom.* gna certè merces: hoc cælorum regnum,  
 & voluptas, & deliciae, & gloria, & ho-  
 nor: hoc lumen, hoc beatitudo infinita:  
 quam ipsam nec oratio repræsentauerit,  
 nec mens comprehenderit. ¶ Vides ergo  
 quam congruè dixerit legis custodiam ex  
 amore esse retributionē? Magna res amor,  
 qui cum retributionem expectet sine pon-  
 dere, & sine mensura, retributione tamen  
 vsque ad eum diem non caret; sed se ipso  
 contentus, velut aliud nihil spectet, se ip-  
 so & delectatur, & fruitur. Quod fortè in-  
 dicat Scriptura cum in Ecclesiastico flores  
 sapientiæ appellat fructus honoris, & ho-  
 nestatis: sunt enim ijdem & flores, & fru-  
 ctus.



us. Flores sunt ligni vitæ, qui in cælesti Hierusalem fructus parturient sempiternè suauissimos. Fructus sunt, quia etiam nunc pascunt, & nutriunt.

De vijs autem huiuscemodi quærendis, *Quærenda & terenda via bona. Jer. 6. 6.* & percurrendis admonet nos & Ieremias. State, inquit, super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona: & ambulate in ea. Vbi & videndum, id est, inuestigandum, ac meditandum diligenter præscribitur: & interrogandum ab alijs viris, nempe spiritu Dei præditis, qui nos docere, & instruere possint. Nec de novis interrogandum, aut non tritis semitis, sed de antiquis, quas ante nos serui Dei terere consueverunt. Nec de quacunque via, sed de bona quærendum: nec solo quæsitu contentis subsistendum est, sed ambulandum in ea. Quæ omnia nequaquam oscitanter perpendenda sunt. Vide & quæ præclarè S. Ambros. disputat Ser. 8. in verba huius Psalmi, Cogitavi vias meas. Vbi inter cetera. Si viam ingressus, cum veneris ad compitum aliquod, si nescias, quod iter ingredi debeas, stas, & cogitas primò, quæ sit via, quæ ad Ciuitatem ducat, ad quam putas tibi esse pergendum: quanto igitur magis animo debes, ac mente consultare, qui ad regnum cæleste contendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illo ducit: non omnis via illo dirigit, ad Hierusalem illam, quæ in cælo est.



34 Da mihi intellectum, & scrutabor  
legem tuam: & custodiam illam  
in toto corde meo.

Homo si-  
ne gratia  
instar sta-  
tuae ad o-  
pera su-  
pernatu-  
ralia.

*Psal. 5.*

*Iac. 4.*

*Sup. v. 2.*

**N**on utique de naturali potentia agitur, quam & iam habebat, & si non habuisset, petere non valeret. Petit ergo intellectum sibi dari sublimiorem, id est, spiritum illuminatum, qui caelestia attingat. Est enim tota humana natura ad ea veluti statua quaedam. Quid autem peteret magis statua aliqua ab artifice, si posset, quam Da mihi intellectum? Videret quippe se oculos habere, sed non videre; aures, & non audire; manus, & non palpare; pedes, & non ambulare; guttur, & non clamare. Ita est omnis homo suae naturae relictus: inutilis est, intellectum habens, & diuina non cernens: voluntatem, sed caelestia non amans: manus, sed sublimiora opera non exercens: pedes, sed in via Domini non ambulans: guttur, sed velut sepulcrum patens, mortua proferens, diuinas laudes non enuntians. Quare exclamandum factori nostro, & patri, Da mihi intellectum. Ostendit autem cur id petat, & qualem intelligentiam petat. Et scrutabor, inquit, legem tuam. Neque ibi sistit, sed addit. Et custodiam illam in toto corde meo: alioquin scienti bonum, & non faciendi peccatum est ei. Quid autem sit, In toto corde,

alibi



IN PSAL. CXVIII. 34

alibi dictum. Et quoniam nosse non sufficit ( tantus est animę languor ) Neque volentis est, neque currentis, sed necessaria Rom. 9. est benigna miserentis manus, ac deducentis, subdit. Deduc me in semitam matorum tuorum, vt possim dicere. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. Psal. 77.

Quia ipsa volui. Hebreis significantius. Quia in ipsa mihi complacui: quia ipsa omnis voluntas mea. In his versiculis ordinem diuinę gratię, & eius omnes effectus facile est meditari.

36 Inclina cor meum, in testimonia tua, & non in auaritiam.

DA mihi pondus amorem tuum, quo ferar ( hoc enim est inclinare ) in testimonia tua, & non in auaritiam. Non puto auaritiam hic poni pro peculiari vitio, id est, immoderato studio pecunię, sed vniuersim pro quauis cupiditate, qua aliud cupimus, quam Deum, aut propter Deum. Auaritia enim est plus velle habere, quam deceat, multo magis cum aliena iactura. Auaritia est retinere, quod alteri debes: itaque super omnia pessimum genus auaritię est negare te Deo, cuius omnia sunt, quę habes: cui totum te debes: qui omnia tibi est. Beatus Chrysostomus pulchrę in sum Deo ducit Dominum loquentem, Omnia tibi Chrysoft.

ego,



372 MEDITATIONES

ego, Ego frater, mater, diuitiæ, thesauri, Salus &c. Et S. Hilarius. Accepimus, inquit, omnia à Deo, corpus, animam, voluntatem: & ideò dignum est, vt homo se totum Deo reddat, cui se debere recolat & originem, & profectum. Ideò, qui alia donat, & se sibi referuat, nec quicquam agit, nec rectè diuidit. Qualis enim diuisio ignobiliora Deo dare, nobiliora retinere, id est, seipsum, sine quo cetera nihili à Deo

*l. 5. de Ciuit. c. 7.*  
*Gen. 4.*

putantur? Ita explicat S. Augustinus, quod Cain dictum est, si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti. Vnde, inquit, datur intelligi propterea Deum non respexisse in munera eius, quia hoc ipso malè diuidebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem se ipsum. Quod omnes faciunt qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed peruerso corde viuentes offerunt Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis.

*Isai. 57.*

Hac autem præcipuè auaritia mihi ab Isaià dictum videtur. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum. Abscondi à te faciem meam, & indignatus sum. Nam quæ maior iniquitas, quam vt auctori non reddas, quod suum est? Quid si addas, quod non solum te tibi dedit, sed & seipsum? Quousque supra modum peccans peccatum huiusce auaritiæ excrescit? In primo opere te tibi dedit, in secundo se:

1112



cum se dedit, te tibi reddidit. Ergo factus, & reffectus totum te ei debes: & quicquid retinueris intoleranda auaritia est.

37 Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.

**V**Ana sunt omnia, quæ solida, id est, æterna non sunt. Vanitas est, inquit Sanctus Ambrosius, sollicitudo vitæ huius. Et hæc gratia Dei, & hoc munus est Domini, ut oculos animæ nostræ à negotijs huius mundi auertat. Beatitudo enim omnis à Domino est. Beatus autem vir, cuius nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & infanias falsas. Ante nos est Christus: ante nos brauium est, ad quod peruenit, qui non in incertum currit, nec reuocauit cursum suum, sed incitauit. Ad hunc dirige oculos tuos: auerte à spectaculis, auerte ab omni seculari pompa. Erige ad cælum vel nocte stellarum monilia, orbem lunæ decorum, vel die solem aspice: facta diuino omnis creatura te pascat. Christus non in vanitate venit, sed in virtute: inflammauit cor tuum, ut comprehendas, quæ mandatorum cælestium ratio, quæ animæ substantia, quæ vitæ futura gratia, in quo statu post hæc erimus. Erige igitur mentem, utere naturali ingenio.

Vanitas omnia terna.  
Poralia.  
Psal. 39.  
Philip. 3.  
1. Cor. 9.



*Gen. 1.*

Ad imaginē Dei factus es, vt superna aspicias, & terrena non quæras. Umbra est ergo vita hæc, festina ad solem, vt defendat ab umbræ huius frigore, & calorem tibi profundat æstiuum. Hæc ex S. Ambrosij egregia disputatione hinc inde breuiter collecta. Sed, quod Psalmographus petit, auerti oculos suos, ne videant vanitatem, tria mihi sonat.

**Custodiendi oculi.**

**Primo, propter periculū.**

*Ierem. 9.*

*Iob 31.*

*Iob ibid.*

Primò, periculū, ne per fenestras mori ingrediatur, sicut Ieremias dolet. Vnde, B. Iob. Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine. Videbat enim vir sapiens claudendas esse fenestras, si nolumus per illas mortem intrare. Vnde & gloriabatur. Si secutum est oculos meos cor meum. Quia videlicet diligenter cauebat propter periculum, ne oculi viderent vanitatem. Quod si interdum ex fragilitate contingeret, vt oculi auolarent, id saltem consequeretur, ne cor desiderando post oculos iret.

**Secundò, propter fragilitatem,**

Secundò, fragilitatem nimiam, qua laboramus. Quare perpetuò cauendum, ne oculi videant, quod malè cupiditatem accendat: quod diu stare non possit, cuius oculi infeliciter rapiuntur. Et quia Prophetia diffidit viribus suis, propterea petit à Domino, vt ipsemet oculos sibi auertat, ne videant vanitatem: & vt id præmuniatur, sine cuius custodia sanitas diu subsistere nequit.

Ter-



Tertio, exactam diligentiam, per quam  
 ne in minimo quidem offendere consen-  
 tit, tum vt animi puritatem perfectissime  
 conseruet, tum quia non ignorat vanita-  
 tem glutinosam rem esse; & facile proster-  
 ni, qui occasiones casus diligentissime non  
 abscondit. Sint nobis exemplo pariter &  
 cautela primorum parentum curiosae in-  
 spectiones: quibus, cum lignum pulchrum  
 esse visum, & ad vescendum delectabile vi-  
 dissent, iam tum (vt notat Chrysostomus)  
 ante manuum extensionem fructum veti-  
 tum & decerpisse, & deuorasse videbantur.  
 Ex quo quid mali ortum sit, calamitas no-  
 stra testatur. Sed multo maiori voce id cla-  
 mitat medicina. Ad eam quippe plagam  
 auertendam, nostrorumque oculorum vel li-  
 cupiditatem, vel incogitantiam sanandam  
 Dei filius oculos suos, qui lucidiores sole  
 scrutantur omnia, & vino pulchriores me-  
 res inebriant; ab impijs ministris velari  
 sustinuit: cum interim exultarent impij,  
 furerent satellites, deriderent Scribae, &  
 Magistratus Templi, Angeli pacis amare-  
 fcerent, & flexis genibus factorem suum,  
 & gloriam suam adorarent: quippe cuius  
 vultus, & oculi ipsos pascerent, & bea-  
 rent.

Optime etiam S. Augustinus interpre-  
 tatur de curanda in rebus, quas facimus,  
 recta intentione: quia magni interest, cum  
 aliquid boni facimus, cuius rei contem-  
 pla-

Tertio,  
 propter  
 studium  
 perfectae  
 puritatis  
 cordis.

Gen. 30

Cur Da-  
 mino ve-  
 lati oca-

Luc. 23

Isai. 33

Curanda  
 recta in-  
 tentio.



platione faciamus. Atque hos oculos, inquit, quibus contemplamur, quare faciamus, quod facimus, auerti poscit, ne videant vanitatem, in qua præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ. Ita non modo vt ne sequamur, sed vt ne videamus quidem aliud, quam Dei gloriam, petere nobis hoc versu licet.

In via tua viuifica me.

Viuen-  
dum Deo.

Ps. 17.

Ps. 102.

**V**Bique vitam appellat Deo viuere per gratiam, amorem, & legis custodiam. Et meritò idem ego à te Domine instanter peto. Nam cur mihi viuere, si non detur tibi viuere? in quo mihi est esse, & viuere; & sine quo non est viuere, vt possim in æternum de te viuere? Ergo hoc peto, hoc efflagito, hoc totis medullis à te contendo, In via tua viuifica me. Quippe extra viam tuam nec salus mihi, nec vita est. Nec solum peto, vt vitam conferes, sed vt robur assiduè nouum, ac vigorem suggeras, ne vnquam defatiger in via tua, ne vnquam consenescam, sed vt renouetur quasi Aquilæ iuuentus mea: vt vegetus semper, & viribus integris maiore per eam, ac celeriore gradu ferar.

\* \*  
\*

38 Sta-



Statue seruo tuo eloquium tuum,  
in timore tuo.

PER eloquium, tum legem, tum promissiones Dei possumus explicare: & utrumque seruus Dei petit in timore casto in se statui, atque firmari. Nam sine timore eiusmodi lex diuina in humano corde consistere, firmarique non potest. Basis quaedam verbi (ait Ambrosius) est timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem, ita verbum Dei, vel rationale Dei, in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur, hoc est, in pectore timentis Dominum. Nec immerito hoc sanctus Pater certus asserit, *Eccl. 1.* cum Scriptura dicat. Timor Domini scientiae religiositas: religiositas custodiet, & iustificabit cor. & item. Radix sapientiae est timere Dominum. Et item. In thesauris sapientiae significatio disciplinae: & multa huiusmodi, quae toto illo primo capite continentur.

Deinde promissiones etiam Dei in timore firmantur. Timentibus enim misericordia exhibetur: & qui casto timore caret, facile labitur: qui autem timori inuenitur, firmas Dei promissiones facit. Non enim est in illo Est, & non; sed Est in illo. Propterea & idem Sapiens. Oculi *Eccl. 34.*  
Do-

Timor castus basis quaedam diuini verbi.

Timore casto Dei promissiones firmantur.



Domini, inquit, super timentes eum, protector potentie, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbra culum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Vides quales promissiones, & quam firmæ sint, si super timorem Domini innitantur. Perpende singula: nam ingentem sanctæ consolationis thesaurum continent. Ipse Dominus ijs, quos castus timor subiecit, est protector potentie, id est, potentissimus. Quid Deo excelsius, quid potentius? Est firmamentum, & basis virtutis: vnde ergo timeat ruinam, qui illi innitatur? Est tegimen ardoris, in æstu concupiscentiarum obumbrans. Vmbra culum meridiani, in maiori persecutionum feruore protegens. Deprecatio offensionis, quia præoccupat ne offendas: &, sicubi, vt fragilis offendas, offensam facilis delet. Est adiutorium casus, quia manu apprehensa labi non sinit, & supponit labenti manum suam, ne collidatur, & erigit. Exaltat autem animam, ab omni humilitate terrena ad cælestia prouehens. Illuminat oculos, ne ante occulti hostis insidias sollicitudinis nostræ aspectus vigilans dormiat. Dat sanitatem, & ægra sanans, & infirma roborans. Dat vitam, spiritu suo viuificando, & ab interitu iugiter redimendo. Dat denique bona omnia, benedictionem copio-

Effectus  
timoris  
sancti.

*Psal.* 36.

*Psal.* 12.

*Eccl.* 4  
15.

lissi-



ssimè super illum thesaurizando. Quam  
felix igitur, qui in timore sancto legis cu-  
stodiam superedificat, vel potius, in quo  
ipsa sibi ædificat Sapiaentia? Quam felix  
item, qui per timorem Domini insigne  
sancti Spiritus donum, promissiones eius  
firmas munit, ac roborat?

Amputa opprobrium meum, quod  
suspensus sum; quia iudicia tua  
iucunda.

Amputa, vel aufer opprobrium, quod Peccata  
suspensus sum, id est, quod timui: & opprobriū  
aufer delendo iniquitates, & peccata, qui-  
bus nil turpius, nihil foedius. Nam in Deū  
deliquisse; eiusque legem, ac dilectio-  
nem violasse opprobrium est, cui nullum  
æquale esse potest. Et quidem spero me  
tua largitate, indulgentiam consequu-  
rum, sed suspensus sum, id est, non sine  
timidine recordor: cum scriptum sit.  
De propitiato peccato noli esse sine me. *Eccl. 9.*  
Et item. Nihil mihi conscius sum, *Eccl. 5.*  
sed non in hoc iustificatus sum. Nescit  
quippe homo vtrum amore dignus sit, vel  
deleat. Deleat & opprobrium, quod inde se-  
quitur. Quia infirmitas, cæcitas, ad ma-  
gnam procliuuitas, difficultas ad bona, quo-  
rum lapsus quanquam leues, magnum  
opprobrium sunt. Interdum & vehe-  
mentius pulsant tentationum procellæ:

&



*Psal. 68.*

& aperit vt absorbeat me puteus os suum: iamque suspicor me opprobrio factum inimicis, & mox deuorandum: & id opprobrium Domine amputa, quia iudicia tua iucunda, vel dulcia. Ita enim sanas, vt ne cicatrices quidem appareant, quamuis olim putruerint, & corruptæ fuerint à facie insipientiæ meæ: ita concuti finis, vt non patiaris euerti: & iudicia tua, quamuis arcana, sunt tamen iucunda, quia tu rectus, & dulcis es Domine: & propter hoc legem dabis delinquentibus in via. De opprobrio vide plura supra v. 22.

*Psal. 37.*

& aperit vt absorbeat me puteus os suum: iamque suspicor me opprobrio factum inimicis, & mox deuorandum: & id opprobrium Domine amputa, quia iudicia tua iucunda, vel dulcia. Ita enim sanas, vt ne cicatrices quidem appareant, quamuis olim putruerint, & corruptæ fuerint à facie insipientiæ meæ: ita concuti finis, vt non patiaris euerti: & iudicia tua, quamuis arcana, sunt tamen iucunda, quia tu rectus, & dulcis es Domine: & propter hoc legem dabis delinquentibus in via. De opprobrio vide plura supra v. 22.

*Psal. 24.*

& aperit vt absorbeat me puteus os suum: iamque suspicor me opprobrio factum inimicis, & mox deuorandum: & id opprobrium Domine amputa, quia iudicia tua iucunda, vel dulcia. Ita enim sanas, vt ne cicatrices quidem appareant, quamuis olim putruerint, & corruptæ fuerint à facie insipientiæ meæ: ita concuti finis, vt non patiaris euerti: & iudicia tua, quamuis arcana, sunt tamen iucunda, quia tu rectus, & dulcis es Domine: & propter hoc legem dabis delinquentibus in via. De opprobrio vide plura supra v. 22.

40 Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

Vera vita  
Deo viuente.

**P**erpetuò in viuificatione petenda persistit: summa enim, ac finis bonorum est. Tunc autem verè viuimus, cum Deo viuimus. Cognoui (inquit S. Bernardus) verum esse, quod legimus, quoniam in ipso viuimus, mouemur, & sumus: sed ille beatus est, in quo est ipse, qui illi viuunt, qui commouetur. Tibi ergo Domine, viuam, vt verè viuam. Tibi spirem tanquam factori, Regi, & Duci meo. Te inspirem tanquam auram vitalem, in qua uiuo, moueor, & sum. In te respirem, tanquam in refugio, tanquam in susceptore, tanquam in indulgentissimo Patre. Pro te suspirem tanquam pro summè dulci, sum mè pulchro.

*Act. 17.*



summe amabili, & desiderabili. Ad terespirem, tanquam ad finem, tanquam ad cœtrum, tanquam ad summam beatitudinem meam.

¶ Vau, id est, Et.

*Octonarius Sextus.*

41 **E**T veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in iudicijs tuis supersperavi.

44 Et custodiam legem tuam semper: in seculum, & in seculum seculi.

45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.

46 Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebar.

47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48 Et leuavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis.

Q

41 Et







IN PSAL. CXVIII.

363

biū quin sceditates, & infirmitates meas, *Spes in*  
 vt me ad pusillanimitatem, & diffidēciam *Dei ser-*  
 adducant, respondebo in tuis sermonibus *monibus,*  
 me sperasse. Exprobrant mihi, quod meri- *patroci-*  
 to reliquisti me, vel relicturus sis, quem *nium no-*  
 ego miserè toties deserui, & vanitatibus *strum.*  
 posthabui. Exprobrant mihi quanta re-  
 tribui mala pro bonis tibi bono facto-  
 ri meo, & benefactori meo. Quam vilis fa-  
 ctus sim nimis iterans vias meas: quam in-  
 digna gesserim genere meo: quomodo tā-  
 to Patri degener vixi. Datum mihi abs te  
 pretiosissimum patrimonium quam infeli-  
 citer, stulteque prodigerim: quam benefi-  
 cius ingratus; quam insipiens in medijs *Luc. 15.*  
 thesauris negotiator: & denique adopta-  
 tus in filium tuum, quod super omnem  
 gloriam est, quam me vilissimum Adæ fi-  
 lium & verbis, & rebus ostenderim. Quid  
 ad hæc respondeam? Non quia falsa sunt,  
 non quia ipse nocens, ne conuincar, &  
 obtinear ab accusatore callido, sed quia  
 speravi in sermonibus tuis. Hi sunt sermo- *2. Cor. 1.*  
 nes misericordiae, sermones non vnius, sed  
 totius consolationis, quibus pollicitus es  
 placituros tibi eos, qui sibi displicerent:  
 non deserturum te, qui ad te confugiunt:  
 non mutatione dexteræ tuæ facturum de *Psal. 76.*  
 agris lucidos, de mortuis viuos, de malis,  
 que infidelibus seruis, fidelissimos, ac  
 nobilissimos filios. Hæc respondebo ex-  
 probrantibus mihi. Quia etiam si occide- *Iob 13.*

Q 2 ris



ris me, in te sperabo: nec obliuiscar, quia ipse es, qui mandas carmina in nocte. Hæc recolens in corde meo in te sperabo, sciens, quia nemo sperauit in te, & confusus est: nec ab expectatione mea confundes me.

*Psal. 21.*

*Psal. 118.*

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudicijs tuis supersperaui.

Verbum -  
veritatis  
confessio  
nostræ in-  
firmitatis

*Ex Conf.*

*S. Aug. l.*  
*10. c. 2.*

Et miseri-  
cordiarum  
Domini.

*Eccl. 15.*

*Heb. 13.*

**A**C si dicat, viam mendacij amouisti à me. si immaculatum me existimo, me ipsum seducens, mendax sum. Si confiteor infirmitatem meam, verbum veritatis habeo. Os meum accusans me, non condemnabit me. Hoc verbo, respondebo exprobrantibus mihi, respondebo & tibi. Nunc enim quod gemitus meus testis est, displicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & desideraris, vt erubescam de me, & abjiciam me, atque eligram te: & nec mihi, nec tibi placeam nisi de te. Erit & verbum veritatis in ore meo, quod mihi instanter postulo concedi, si cum miserijs meis confitear simul misericordias tuas. Quantum à te retarder potest meo, quantum ad te accedam munere tuo: quoniam in ore fideli, quod proprium fructum suum germinat, Fructum, inquam, labiorum confitentium nomini tuo, abudat



dat laus tua. Neque enim fidelia labia sunt  
 quæ non erumpunt, & parturiunt laudes  
 tuas. Hæc sunt iudicia tua, in quibus su-  
 persperaui. Quia non tacentibus de se, &  
 non tacentibus de te soles misericordiam  
 tuam præstare; vt abstergas, quod no-  
 strum est; &, quod tuum est, largiaris. Si  
 autem verbum hoc veritatis, & accusatio-  
 nis meæ, & laudis tuæ vsquequaque, id  
 est, semper, ac per omnia fuerit in ore  
 meo, vt omnia ossa mea germinent lau-  
 dem, meritò gloriari & ipse potero, quia  
 in iudicijs tuis supersperaui. Sed illud  
 verbum veritatis, precor, Domine, ne va-  
 quam auferas à me, vt annuntiare præ-  
 termittam legem tuam fratribus meis, &  
 cum fiducia sancta loqui, quæ postulat à  
 me caritas tua, & utilitas discreta proxi-  
 morum. Non enim ad hæc satis in me vi-  
 tium agnosco; sed fiducia mea in te est,  
 qua in iudicijs tuis supersperaui.

Et liber-  
 tas adme-  
 nitiois.

44. Et custodiam legem tuam semper,  
 in seculum, & in seculum seculi.

Vide propositi firmitatem: vide coo-  
 perationem ex animo. Quid est enim  
 in seculum seculi? Sancti Ambrosius, &  
 Augustinus, ac Theodoretus seculum se-  
 culi æternitatem intelligunt: quia in alia  
 vita, hoc est, in patria voluntati Dei per-  
 fectè congruimus, illique perpetuum cul-  
 tum,

Seculum  
 seculi vi-  
 ta æterna.

Q<sup>3</sup>



tum, laudesque exhibemus. Ergo, si solummodò dixisset, Semper, posset intelligi quamdiu hic viuo, sed, In seculum seculi, vita æterna est: quæ finem non habet, sed est in æternum, & ultra. Sed quid prohibet grandem affectum intelligere hominis volentis, omninoque parati in æternum custodire, si hic in æternum uiuendum esset: imò & parati in æternum uiuere, vt in æternū seruet? Solet enim affectus in mensura contra mensuram audere. O affectus ardens, & exundans: o propositum immensum, seque supra mensuram extendens. Dolet de breuitate vitæ, nec eam metitur in desiderio; sed delectatur in eo, quod subinde recogitat: quia si huic finis imponitur, aderit illa post peregrinationem, in qua sine fine Deo perfecte placens, legem voluntatemque illius, altiori prorsus modo absorptus in eum perfectissime seruet.

Et prap-  
ratio ani-  
mi in om-  
ne tēpus.

45 Et ambulabam in latitudine: quia  
mandata tua exquisiui.

Via man-  
datorum  
lata, &  
angusta.

SI via mandatorum est, quæ ducit ad vitam, de qua Dominus ait. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, quomodo Propheta canit se ambulasse in latitudine, quia mandata Domini exquisiuit? Nimirum via Dei lata est, & spatiosa; sed caro, & sanguis angustat illam, asperat, & spinosam

Matt. 7.



sam reddit. Percurritur & in latitudine, id *Sup. ver.*  
 est, in lætitia cordis, de qua dictum est. *32.*  
 Quantæ autem misericordiæ sit ambulare  
 in latitudine, docet eorum miseria, qui  
 ambulant vias difficiles: lassantur in via  
 iniquitatis: errant à veritate, nec sol ori- *Sap. 50.*  
 tur eis: vt illi apud Sapientem conquerē-  
 tes, & gementes euenisse sibi poenitentia  
 fera fatentur.

46 Et loquebar de testimonijs tuis in  
 conspectu regum: & non confunde-  
 bar.

**C**ur enim confundatur, cum loquatur  
 testimonia Dei, quæ sanctissima, & re-  
 tissima sunt? quæ lucidissima, animas *Psal. 18.*  
 conuertentia, quæ immaculata, & à tan-  
 to legislatore sancita? Cur confundatur, *Timor, &*  
 qui ex meditatione, & obseruatione diuine *cupiditas*  
 legis illud consequitur, vt vtramque por- *portæ cō-*  
 tam, vnde verè confundi poterat, oclu- *fusionis.*  
 dat hosti, qui confusionem nostram soli-  
 citè, & sine intermissione procurat, cupi-  
 ditatem scilicet, & timorem? Qui nihil  
 optat, nihil metuit, loquitur cum fidu-  
 cia, loquitur sine confusione. Loqueba- *Marc. 6.*  
 tur cum fiducia Ioannes in conspectu He-  
 rodis Regis: loquebantur & Martyres in  
 conspectu Regum. Denique verba Domi- *Zelus ta-*  
 ni eiusmodi sunt, vt ab amante in quo- *cere ne-*  
 nis periculo taceri non possint. Vnde & quit.

Q4 Iere-



Cap. 20.

Non confunditur qui dicit, & facit.

Jeremias, qui videns populi duritiam steterat iam non loqui amplius. Factus est, inquit, in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens. Loquitur & sine confusione, qui facta dictis adæquat. Alioqui (vt ait S. Ambrosius) ipsa obmutescit facundia, si ægra sit conscientia.

47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

Dilectio delectabilia facit mandata.

Psal. 4. 61.

Isai. 34

**V**Ox Hebræa meditabar, significat delectari: qua ostenditur, non vtcumque illum meditatam fuisse legem, sed magna cum delectatione, & spiritali gustu. Nec verò id mirum, sed subditur statim causa, cum additur (Quæ dilexi) Quæ enim diligimus, cum gaudio, & delectatione meditamur. Eant nunc vani filij hominum, & mendaces in stateris: eant & conquerantur, nec latitudinem se in hac via, nec delectationem experiri; sed contra difficultates, anxietates, spinas, & punctiones. Sed ipsi, quia non amant, hæc afferunt sibi: quemadmodum in Isaiâ scriptum est. Orientur in domibus eius spine, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius: & erit cubile Draconum, & pascua strutionum. Perpende quam sit dispar vtrorumque conditio. Vt verò caritas crescat, quæ delectationem in his parit, mi-  
nue



nue cupiditatem. Terrena, ac temporalia veluti inanem fumum, & cassam umbram contemplare, & vt in momento transitura contemne.

48 Et leuauit manus meas ad mandata tua, quae dilexi.

**L**euauit primò ad opus, & exercitatione. *Leuanda manus*  
Non enim remissas habui: & quasi sub *manus*  
ascella, quod de pigro testatur Salomon, *primo ad*  
opus posui, ne ad os quidem applicare au- *opus.*  
dens, ne & illud mihi exprobretur, *Prou. 19.*  
quò piger dormies? quando consurges à *26.*  
somno tuo? Paululum dormies, paululum *Prou. 6. 24.*  
dormitabis, paululum conseres manus, vt *24.*  
dormias, & veniet tibi quasi viator ege- *24.*  
stas, & pauperies quasi vir armatus. Potius *S. Leo ser.*  
sectandum mihi vidi, quod subiicitur. Si *2. 5. de*  
verò impiger fueris, veniet, vt fons, mes- *Epiph.*  
sis tua, & egestas longè fugiet à te. Non *Epiph.*  
enim dormientibus, prouenit regnum *Epiph.*  
caelorum; nec otio, desidiaque torpen- *Epiph.*  
tibus beatitudo aeternitatis ingeritur: sed *Epiph.*  
in mandatis Dei laborantibus, atque vigi- *Epiph.*  
lantibus.

Secundò leuauit manus quasi ad altiora, *Secundò*  
quia mandata sublimia sunt. Non enim *ad subli-*  
ta attingerem, si in terra reperem; & pul- *mia.*  
uerem, serpentis panem, comederem. Er- *Isai, 65.*  
go vt ea apprehendam, eleuandae sunt ma- *Isai, 65.*  
nus. Dominus quippè sublimiorem do- *Isai, 65.*

Qs stri-



*Mat. 5.*  
*Gen. 1.*

ctinam in Monte, quo turba non ascendit, Discipulis tradidisse legitur. Denique aues, & volatilia ex aquis ortum duxisse identidem cogitandum est; vt, qui ad sublimia volaturi sunt, à copiosis lacrymis ascendant. Nam & vir sapiens, qui ascensiones in corde suo disponit, in valle lacrymarum disponit, vt peruenire quandoque possit ad montes gaudiorum.

*Psal. 83.*

Tertiò, dicimur leuare manus ad ora-

Tertiò,  
adoratio-  
nem.

tionem, vt Apostolus meminit: Volo viros orare leuantes puras manus: quod in

*1. Tim. 3.*

Scripturis est frequentissimum. Ostendit

Oratione

igitur Propheta legis obseruationem assi-

impetrã-

dua oratione impetrãdam: quia nequaquã

da legis.

assurgit homo ad Dei præcepta implenda,

custodia.

nisi ab eo eleuetur. Et S. Dionysius Areo-

*De diu.*

pagita elegantissima similitudine ostendit,

*rom. c. 3.*

Orationem esse veluti pulcherrimum sur-

Oratio

nem, aut lucidissimam cathenam è calo-

cathena,

demissam: quam & si homo quasi ad se

per quam

trahere videtur, re vera tamen ipse per eam

tollimur

ad superiora trahitur. Nec alienum ab hoc

in altum.

loco est meminisse, quod Sapiens ait. Stel-

*Prou. 30.*

lio manibus nititur, & moratur in ædibus

Regis. Videant igitur, qui sibi fidunt, qui

legis custodiam aliudè, quam ab oratione

sperant, Videant, inquam, quid faciant.

Verè enim effodiunt thesaurum, vbi non

est, & stulto labore consumuntur: cum

contra die, ac nocte manus tendendæ sint,

vt id impetremus. Sumus quippe habitan-

tes



res in scopulo aridissimo, spinas tantum, & tribulos germinante, vbi nihil nascitur boni, nisi aliunde, id est, è caelo aduehatur. Nauicula autem, quæ illuc pergat, & cum commeatu, atque alimentis re- meat, oratio est. Quem si promptam, & facilem habeamus, poterimus & ipsi ve- luti cum classe Salomonis aurum Ophir, & pretiosissima quæque nobis afferre.

Et nauis è caelo com- meatum afferens. 3. Reg. 10.

Quartò, est etiam eleuatio manuum forma quædam iurandi, vt Abraham ait. Leuo manum meam ad Deum excelsum: & alibi sæpè. Quod si ita accipiamus eleua- re manus ad mandata, idem erit atque id, quod infra dicitur. Iuravi & statui custo- dire iudicia iustitiæ tuæ. Quod enim iura- mus, id diligentissimè, & sanctissimè cu- stodimus.

Quartò. leuantur manus ad iurandū.

Sed omnibus his modis leuari non pos- sent manus, nisi is antea pro me leuasset, qui, cum olim præ Maiestate diceret. Le- uabo ad caelum manum meam, & dicam, Vivo ego in æternum: quique in eleua- tione solij æterni, nec Cherubim, neque Seraphim cõsortes habès, postea tamen in humilitate cõsortes dignatus habere la- trones, tota die manus suas ad populum non credentem extendit: haud dubium quin in Cruce: vbi & manus in cornibus, scilicet pretiosi ligni, & cornua in mani- bus eius, quibus hostes ventilaret. Eleuatio,

Nō leua- remus ma- nus, nisi Christus eleuasset suas in Cruce. Deut. 32.

Luc. 23. Habac. 3. Ps. 43.

Q 6 in-



*Psal. 140.* inquit Propheta, manuum mearum sacrificium vespertinum: illud, inquam, sacrificium, vbi idem & sacrificium, vt sacerdos: victima sacerdotij sui, & sacerdos suæ victimæ fuit. Magnum illud sacrificium ab initio promissum, vespertino tempore, id est, in fine redditum, virtute sine fine mansurum. Illud est eleuatio manuum mearum, per quod & remissas atollere possim, & sublimia apprehendere. Vnde & ipsa manuum eleuatio in oratione grata fit, & suauis velut incensum. Quia suauis odor, qui mystico thure orationis, & meritorum Crucifixi nobilis redditur.

*Psal. 106.* Confiteantur tibi Domine Iesu Sacerdos altissime, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Confiteantur tibi misericordiæ tuæ, & mirabilia tua filijs hominum, qui per velamen, id est, carnem tuam in sancta egressus es, Patrem repropitiaturus. Quippe cælestia melioribus hostijs, quam legalibus mundanda erant; vt vna oblatione consummares in sempiternum sanctificatos: & consummatus ipse fieres omnibus causa salutis æternæ, cum iureiurando Sacerdos à Patre constitutus.

*Psal. 109.* Confitear & ego tibi de medullis meis miserationes tuas: & de sanguine cordis mei per lacrymas confessionis diebus, ac noctibus sacrificetur tibi.

Iam verò facta eleuatione manuum, & præeunte dilectione, facile fit, quod sequitur.

tur. Et  
Pulche  
sius, vt  
ceptoru  
ta med  
torum  
scit. E  
pheta,  
tua, qu  
post me  
uare ad  
que id  
non ex  
infra. C  
actus su  
Deo, is  
tere ma  
immor  
trebro

19  
N  
so Ha  
ta  
v



Et exercebor in iustificationibus tuis. Pulcherrimus ordo iste, inquit S. Ambrosius, ut primò meditemur: & eorum præceptorum, quæ diligimus, sit nobis assuetameditatio. Meditatione enim mandatorum cælestium operis boni vsus inolefcit. Et paulò post. Subiecit, inquit, Propheta, Eleuauit manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis, (sic enim ipse legit) post meditationem etenim bonum est leuare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum caritate, & gaudio, ut non ex necessitate sit bonum nostrum. Et infra. Qui autem meditatur, & diligit, & actus suos leuat, ut faciat, quæ placeant Deo, is debet non negligere, nec transcurrere mandata diuina, sed exercere se in his, immorari plurimum, iustificationes Dei trebrò reuoluens sollicitæ mentis affectu.

Ex dilectione meditatione. Ex meditatione opus.

Ex opere exercitatio.

¶ Zain, id est, Hæc.

*Octonarius Septimus.*

49 **M**emor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.

Q 7

51



51 Superbi iniquè agebant vsquequaque : à lege autem tua non declinaui.

52 Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine: & consolatus sum.

53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55 Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodiui legem tuam.

56 Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

49 Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Meminisse Dei est facere.

**N**on potest obliuisci Deus, sicuti nec meminisse, quia ipse sibi intellectus est, & oculus semper videns.

Dicitur autem meminisse, quando facit, quando liberat, quando nos benignè intuetur: sicuti obliuisci, quando deserit; & tentari, aut tribulari permittit vnde dicebat Propheta gemens.

*Psal. 12.*

Vsquequò Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? & alibi.

Exu-



Exurge, quare obdormis Domine? *Psal. 43.*  
 exurge, & ne repellas in finem. Usque *Quā me-*  
 adeo autem verba promissionis, & con- *mor Iu-*  
 solationis, per quæ nobis spes non fallax *storum*  
 tribuitur, statuit, & multiplicat, vt dicat *Deus.*  
 fieri non posse, vt obliuiscatur nos multo *Isai. 49.*  
 minus, quam vt sedula mater infantuli *16.*  
 sui. Et item, habere se nos in manibus  
 descriptos. Quod autem in manibus descri-  
 ptum est, semper ob oculos versatur, vt  
 obliuioni minimè tradi possit. Hoc autem  
 verbo firmissima nobis spes datur.

Qui enim repromisit, veritas est. Quo-  
 circa tenendam spei nostræ confessionem  
 indeclinabilem Apostolus monet. *Heb. 10.*

Deinde potentia est, cui subest, cum  
 voluerit posse: & qui omnia opera sua ex- *Psal. 110.*  
 quisita in omnes voluntates suas fa-  
 ciet.

Bonitas est, quæ non solum possit, sed  
 etiam velit: imò adijcit, quod oratio nõ  
 præsumit, faciens super id, quod peti-  
 mus, aut intelligimus.

Non ergo aut fallaci promissione niti-  
 tur, aut super arenam fundatur spes, cuius  
 fundamentum verbum Dei est, hoc est ipsa  
 illius promissio, qui deficere non po-  
 test.

Quam etiam interdum seruis suis iure-  
 iurando confirmavit, sicut in repromis-  
 sione Abrahæ dictum est. Per memetipsum *Gen. 22.*  
 iuravi. Et ad David. Semel iuravi *Psal. 88.*



in sancto meo, si Dauid mentiar, vt iure  
hoc loco subiungat.

50 Hæc me consolata est in humilitate  
mea: quia eloquium tuum vi-  
uificauit me.

Miseria  
hominis  
quanta.

6. 7.

Psal. 93.

Iob 2.

**H**AEC, id est, hoc. Carent enim neutro  
Hebræi. Hoc ergo, vel hæc res, nimi-  
rum promissio tua consolata est me in hu-  
militate mea, id est, in afflictione, & humili-  
atione. Quid ni cõsoletur suo verbo nos,  
cum solus & verè amare nouerit, & mederi  
possit: Quanta autem hominis humiliatio,  
& quam multiplex quis explicet, quis vel  
longissimè disputans exequatur: Humiliat  
corpus, quia onerosum est, & animam  
grauat, ac deprimit: locus quia exilium:  
tentatio, quia inquietat, & vrget: hostis,  
quia insidiatur: infirmitas, quia labitur:  
persecutores, quia infestant: vt tota ipsa vi-  
ta hominis, quæ à Iob militia, vel tentatio  
nominatur, non minus verè humiliatio  
dici possit: ac meritò confiteatur quis.  
Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò mi-  
nus habitasset in inferno anima mea.  
Quippe adeò humiliatus est homo ob na-  
turæ debilitatem, aduersitates, & contem-  
ptum, in quem incidit; vt etiamsi aliqua  
in hac vita blandiantur temporalia, om-  
nia humilitas sint. Nam ipsemet, vt flos  
egre-



egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra; imò, vt qui dam Græcorum Poetarum sapienter addidit, vmbra somnium est. Quo quid humilius, quid abiectius?

*Pindar.  
Pyl. Od 8.  
Psal. 38.*

Sed luculenter id explicat psalmus, cum ait hominem in imagine, id est, in apparentia potius, & vmbra, quam in veritate rei solidæ pertransire: & proximè cuncta breuiter complexus. Vniuersa vanitas

*Psal. 38.*

omnis homo viuens. Quasi omnis homo vniuersa vanitas: in quo quicquid est vanitatis, & miseræ collectum sit. Et additur in Hebræo, Sela. Quæ vox, missis multis, quæ de illa disputantur, præsertim à D. Hieronymo ad Marcellam, duo notat.

Primum, si interpretemur, semper, vt Aquila, idem est, ac si dicamus, verum, stabile, fixum, quod dictum est: alterum, reuoluendam esse attentionem; & id, quod dictum est diligentius reuoluendum. Ergo nobis, cum dicimus hominem esse vniuersam vanitatem, profundius meditandum est. Hanc verò hominis infirmitatem

*Sela iā  
psalmis  
quid.*

serbis, & exemplis Scriptura docet. Nunc videmus naues humanæ negotiationis, & vilissimarum rerum ministras per contemptum, vt interpretari licet, vasa papyri

*Res hu-  
manæ quā  
viles.*

pellans, fortè, vt memores ludicarum, quas papyraceas per ludum pueri solent fingere, intelligeremus, quæ voluntur in viris negotia, magis nomine à actorum ludis distare, quam re. Nunc

*Isa. 18.*

muni-



*Nam. 3.**Iob 14.**Psal. 72.**Soph. 1.**Exod. 8.**10.**Dan. 4.*

Maxima  
hominū  
miseria  
peccata.

*Pf. 12.*

munitiones firmissimas grossis frumt  
comparans, qui statim vix excussa abore  
in os comedentis decidunt. Nūc flori de-  
cidenti: nunc somnio magnates, ac Prin-  
cipes assimilans: nunc habitatores pilæ  
totius orbis homines appellans: quasi vni-  
uersa hæc terrarū moles pila lusoria videat-  
tur. Exemplis autem, cum Reges poten-  
tissimos Aegypti Muscis, & Ranis ebul-  
lientibus Dominus compefcuit. Nunc lo-  
custa, & brucho, & Cyniphe populos hu-  
milians. Nunc Nabuchodonosor poten-  
tissimum quōdam Regem in bestiam agri  
redigens, & rore cæli conspersum cum te-  
ris, & bestiis in campis atterens. O Regem  
inclytum, qui vincus ferro, & ære in her-  
bis tandem cum feris pabulum habuit, &  
per septem annos scœnum, vt bos, com-  
dit. Sed super omnia peccata, & infirmi-  
tates humanæ, & tentationes, atque quo-  
tidiana de via æterna periclitatio homi-  
nem humiliat. Quanta humilitas cœcitas  
mentis: tarditas ad bonum, pronitas ad ma-  
lum? & cetera huiusmodi, quæ facilius mi-  
serabili experientia discimus, quam nar-  
rando enumeramus. In hac ergo omni-  
moda humilitate, quæ consolatio esse  
possit, nisi promissio Domini, & auxiliū  
eius, qui suscitatur de puluere egenum, & de  
stercore erigit pauperem? Ab hac itaque  
quasi morte (quid enim nisi responsum  
mortis inter hæc constituti habere possu-  
mus?)  
lius viu  
solatio  
mus.  
si Supe  
qu  
ui.  
A Geb  
abstr  
tum, &  
quæ tua  
sola exe  
exempla  
nulla ve  
declinar  
tumuis a  
tanda ab  
Mem  
cul  
sum  
A Bini  
perde  
los depo  
custodien  
ere eis,  
tia tua o  
consolati  
& prote



mus?) eloquium Dei, & promissio illius viuificat: vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. *Rom. 15.*

si Superbi iniquè agebant vsquequaque: à lege autem tua non declinaui.

**A**gebant iniquè, vel vt me sic à lege tua abstraherent, vel certè, vt conturbatum, & anxiu non sinerent meditari, quæ tua sunt. Alios ipsa peccantium vel sola exempla peruertunt, sed nulla exempla pellicere, nullæ deterrere minæ, nullæ vexationes compellere potuere, vt declinarem à lege tua: nec mente quantumuis anxia, & perturbata ab ea meditando abstrahi me sum passus. *Confantia infimis.*

Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum.

**A** B initio nascentis mundi superbos disperdens mente cordis sui, de sede illos deponens, & exaltans humiles, tuos custodiens, non permittens homines nocere eis, & corripiens pro eis Reges, iudicia tua ostendisti: quorum memor merito consolatus sum. Nam lucem vultus tui, & protectionem in tuos non possum sine san- *Exempla diuinitelæ. Luc. 1. Ps. 104.*



- sanctæ spei thesauris intueri. Quid enim  
**In Abra-** suadet recogitatus Abraham, nunc de for-  
**ham.** nace Chaldaeorum eductus: nunc cum pe-  
**Gen. 11.** regrinaretur in Gereris apud Abimelech  
**20. & 22.** Regem, de carissima vxore periclitatus:  
 nuncheredem filium non habens: nunc  
 eum, postquam tandem susceperat, in  
 spem contra spem credens, immolaturus  
 in monte? En mille modis tentatus, & pe-  
 riclitatus dextera manu tua protectus est:  
 & semen illius non solum in propagine  
 carnis, sed multò magis in electorum pro-  
 genie, qui sectantur vestigia fidei illius, a-  
 renæ maris, & stellis meritò comparatur.
- Et Isaac.** Quid Isaac? siue cum à Patre alligatus su-  
 per struem lignorum ad immolationem  
 petitur, sed Arietis mysteriò inter spinas  
 hærentis, qui Christum præsignabat, libe-  
 ratur: siue cum & ipse pro vxore in Gere-  
**Gen. 26.** ris, & in puteorum effossione tentatur? De  
 28.  
**Et Iacob.** Iacob in omni peregrinatione eius, de pe-  
**Gen. 32.** riculis à fratre Esau, de visione scale, & An-  
**Gen. 27.** gelorum ascendentium, & descendentium,  
 de occurso castrorum Dei, de primatu na-  
 talium, & benedictione prærepta quis non  
**Et Ioseph.** miretur? Sed omnem admirationem supe-  
**Gen. 37.** rat historia Ioseph. Quanta passus à fratri-  
**& 39.** bus? quanta per calumniam impudicæ  
**Pf. 108.** mulierculæ? quanta in carcere cum ferrum  
 pertransijt animam eius, donec veniret  
**Gen. 41.** verbum Domini? Quomodo per somnia  
 seruatus, & Aegypti Dominus factus est:  
 ita



ut ut absque eius imperio nec manum,  
 ut pedem in omni terra Aegypti quis  
*Gen. 42.*  
 quam moueret! & super fratres ipsos tan-  
 tem, quod tantopere illi prohibere cona-  
 erant, dominus constitutus, eosque sibi  
 insensos, atque hostilia molitos, & impe-  
 tro terruit, & alimentis pauit; & adoratus  
 ijs est; & demum eos clementissimè, nec  
 sine lacrymis amplexus suscepit: *Quid Iob? Et Iob.*  
 Quam multis miserijs ad quantam ite-  
 rum prosperitatem euectus est? ut in illo &  
 patientiæ documenta, & diuinæ providen-  
 tiæ experimenta haberemus? Quod & B. Ia-  
 cobus Apostolus ijs, qui patiuntur, consi-  
 derandum proponit. Ecce, inquit, beatifi- *Iacob 5.*  
 catus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam  
 Iob audistis, & finem Domini vidistis (in-  
 telligo autem finem Domini, quem ille  
 tantæ tragœdiæ contulit, ac si dicat, consi-  
 derate quid Iob passus sit, quid Dominus  
 in illo præstiterit) quoniam misericors  
 Dominus est, & miserator. Nisi quis malit  
 ipsius Domini I E S V consummationem  
 in Cruce, & consecutam inde celebritatem,  
 & gloriam proponi. Et ita si mentem per  
 generationem, & generationem traduco,  
 inuenio (ut Matathias dixit) quia omnes *1. Mach.*  
 qui sperant in eo, non infirmantur. Hæc *2.*  
 sunt ergo iudicia, quæ summam mihi con-  
 solationem pariunt, quod videam per va-  
 rios casus, & discrimina semper te tuos,  
 quasi pupillam oculi tui custodisse. Inde  
 tam



*Deut. 32.*

tam vehemēter populum admonet Moyses. Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas: interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi maiores tuos, & dicent tibi.

¶ Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

**H**Ebraeus, tremor, vel horror. Sed significantius dictum est, defectio, quasi deliquium, animi defectus, & virium languor. Non enim qualiscunque tristitia occupat seruum Dei cogitantem peccatorum transgressiones, sed omnino defectus animi. O quid facit caritas? Non enim pro sua vel iniuria, vel læsione contristatur, & ita grauius contristatur, sed pro legis dissipacione. Deficit autem & horret.

Peccata sunt iusto causa dolores.

Primò, quia contemnuntur Dei mandata.

Primò propter ipsam mandatorum suauitatem, & dulcedinem, quam non intelligi à peccatoribus vehemēter excruciat. Vt, si quis gemmam pretiosissimam, sibi que carissimam videat ab ignorantibus, & non cognoscentibus, tanquam lutum aestimari atque conculcari.

Secundo, quia Deus inhonoratur.

Secundò, quia Deus inhonoratur: quod illi insanabile vulnus est. Fieri enim non potest, vt quis Deum diligat, & de eius contumelia non ex animo afficiatur. Si enim



enim Abisay, filius Seruix non potuit patienter ferre contumelias, & maledicta, quæ Semei in Regem Dauid irreuerenter faciebat, sed dixit. Quare maledicit Canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius. Quid faciat vir sanctus, cum Dominum totius Maiestatis, & omnium factorem, atque conseruatorem, ita tractari viderit?

2. Reg. 16.

Deinde, quia maximum-ipsis peccatoribus malum est. Caritas autem de proximi malo dolet ex animo: &, quo maius fuerit malum, eo magis dolet. Itaque eadem vna caritas, quæ de Deo neglecto dolet, dolet & de proximi malo. Et non directæ in nobis, sed vna dilectio est, vt ait S. Leo, quando & seruum seruire, & Dominum cupimus imperare.

Tertio, ob  
damna  
peccan-  
tium.

Ser. 5. de  
ieiun. 7.

Postremò, quia cernit non solum illos suo sine frustrari, sed etiam ipsum Deum: qui ideo legem dedit, vt remuneret (Nam transgressores punire iustitiæ est) sed malum Dominus non esse, quos puniret, sicut scriptum est. Nunquid voluntatis meæ timor impij, & non magis, vt conuertatur, & viuat? Quis ergo, si sensum Dei habet, non horreat, imò non deficiat, cum viderit Deum contemni, proximos peccando in æternum, ac sempiternum cadere malum; & tamen suo fine, talique fine, quod in ipsis est, insipientissimè frustrari?

mens.

Quarto,  
quia &  
ipsi pec-  
catores,  
& Deus  
quodam-  
modo si-  
ne suo fru-  
strantur.

Ezech. 18.



¶4 Cantabiles mihi erant iustificatio-  
nes tuæ in loco peregrinationis  
meæ.

Ipsa lex  
Iusto pro  
solatio.

**E**Cce non modo grauiæ non sunt, sed  
canticum sunt suauissimum ipsa præ-  
cepta Dei: siue, quia homo spiritualis car-  
nit, alijsque prædicat iustificationes ip-  
sas: siue, quia canticum, & oblectamen-  
tum ipsimet sunt, quæ aures, & animum  
dulcissimè mulceant. Sed ubi: In loco, in-  
quit, peregrinationis meæ. Considera ubi  
sumus, & quæ adiumenta præparat nobis  
Dominus: quæ non solum instruant nos in  
via, & dirigant; sed etiam peregrinationis  
fastidia alleuent, cordis aures mulceant, &  
quasi perpetua delectatione confirmet.  
Quæ miseria, quis stupor iucundissimis hu-  
iusmodi adminiculis, & leuamentis non  
viti? Quæ verò Christianorum in ore sona-  
re cantica debent, nisi diuina? sicut Ephe-  
sios, & Colossenses Apostolus cohortatur,  
vt doceant, & commoneant semetipsos  
psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus  
in gratia cantantes in cordibus suis Deo.  
Sed ignorant hoc canticum surdi, ignorant  
muti, qui diuinas laudes nec audire pos-  
sunt, neque cantare. O miseram condi-  
tionem nostram. Qui surdi omnino non  
sunt, vt minimum quasi surda stri obtura-  
tas

Ephess. 5.  
Coloss. 3.

Pf. 57.



tas habent aures, si non cauda aspidis, saltem terra, atque luto; vel certè defluxionibus capitis, & perniciosis humoribus impeditas. Purgandæ aures sunt, purganda lingua, sed antè omnia cor, vt & audire canticum Domini, & decantare valeamus.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.

Nominis dictum est pro ipso Domino, Nomen ac si diceret, Memor fui tui. Quod Domini, frequentissimum in Scripturis est. Vt, In nomine Dei nostri magnificabimur. Et, In nomine eius sperauimus. Et, Ostendam tibi omne bonum, & vocabo in nomine Domini coram te: cum Moses cureret videre ipsum Dominum. Verè enim qui videt eum, videt omne bonum: & nomen Domini apparet, cū ipse se ostendit.

Videt. r autem mihi nomen non solum sonare maiestatem, & gloriam, sed etiam reuerentia, & amore ita vsurpari. Ex reverentia quidem, quasi non audeant sancti viri nominare eum, qui ineffabilis est, alioqui ipse sibi nomen est. Quemadmodum & Tetragrammaton ex reuerentia syllabis proprijs proferri non solet, in ineffabile: vnde & ἀνεφώνητος dicitur: nec pronuntiat, sed legitur Adonai. Ira Regius Psalter ait se memorem

R fuisse

ficatio-  
ationis  
t, sed  
sa præ-  
nalis ca-  
nes ip-  
tamen-  
nimur  
co, in-  
dera vbi  
at nobis  
t nos in  
nationis  
eant, &  
riment-  
mis hu-  
tis non  
e sona-  
t Ephe-  
ortatur,  
et ipsos  
ualibus  
s Deo.  
gnorant  
lire pos-  
condi-  
ino non  
obtura-  
tas

significat  
& quan-  
dam re-  
uerentiã.



fuisse nominis Domini. quod tamen nec substantiam ipsam Dei explicat, sed aliquid adumbrat, tamen ne sic quidem proferre audeat. Amor autem exprimitur, cum Propheta dicit. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Et in Exodo ab ipso Domino dicitur. Hoc nomen mihi est in æternum: & hoc memoriale tuum. Vult enim perpetuam nominis sui esse memoriam. Sed vox **יְהוָה** non

Et amo-  
rem.  
Isai 18.  
Exod. 3.

solum memoriam significat, sed & odorem, quasi dicat, Solus odor, & memoria nominis tui excitat me, & confortat. Est quippe oleum effusum, quod suo odore currere adolescentulas, id est, animas faciat. Oleum, inquam, animam totam

Cant. 1.

Epist. 136.  
ad Mar-  
cell.

Dei no-  
mina de-  
cem.

Primum,  
El.

Secundū,  
Eloim.

Tertium,  
Eloe.

Quartū,  
Sabaoth.

perungens, totam sanans, totam penetrans, totam confortans, totam viuificans, totam rapiens, totam transformans. D. Hieronymus decem ponit Dei nomina ex Scripturis, quæ varias in simplicissima essentia proprietates significant.

Primum est El, quod Spetuaginta Deū vertunt. Aquila Fortem, etymologiam sequutus transtulit.

Secundum Eloim, & tertium Eloe, quæ ex El, deriuantur, ac proinde idem sonant.

Quartum Sabaoth, id est, exercituum, vel virtutum, vel ornatuum: quia Angelorum, & Virtutum Dominus, ac militiæ cælestis, id est, ornatu stellarum factor, & arbiter est.

Quin-



IN PSAL. CXVIII.

387

Quintum Helion, quod excelsum sonat, & habetur in psalmo nonagesimo, *Quintum, Helion.*  
Qui habitat in adiutorio Helion, siue Altissimi.

Sextum Qui est, vt Mosis dictum est. *Sextum, Qui est.*  
Sum, qui Sum. Et Moses ipse. *Exod 13.*  
Qui est, misit me. Ipse enim solus est, qui immutabiliter, & independenter idem est.

Quam in sententiam memini me legisse apud Eusebium Cesariensem, qui ex Plutarcho refert, in Delphici templi propyleis *Lib. 11. de prap.*  
vbi scriptum erat. Nosce te ipsum, item *Euang ca.*  
scriptum fuisse, Es. Quod Plutarchus ipse *7.*

sic explicat, tanquam Dei vox ad homines, qui ad ipsum accedunt, sit. Nosce te *Plut. lib. de q.*  
ipsum, & homines, vbi se nihil esse cognouerint, vicissim ei respondeant, dicantque. Tu es, id ei, quod maximè Deo conueniat, tribuentes.

Septimum Adonai, quod Dominum *Septimū, Adonai.*  
valet.

Octauum Ia, quod fortè ab esse deducitur, & habetur extrema syllaba in dictione *Octauum, Ia.*  
Alleluia, Laudate Dominum.

Nonum Terragrammaton, & Ineffabile, quod per quatuor literas scribitur, & *Nonum, Tetragrammaton*  
mysterio iam predicto non pronuntiat.

Decimum Saddai, quod sufficientem *Decimum Saddai.*  
significat ad omnia: seu melius, sibi soli sufficientem, qui nullo indigeat, omnibus superfluentem, qui nullo indigeat, omnibus abundet: quod solius Dei est. Que omnia, si simul ponantur, adu-

R 2 biant



Spes ex  
cōsidera-  
tione ho-  
rū nomi-  
num.

Sap. 12.

brant nomen Domini, in quo speramus,  
& cuius in nocte recordamur, spem nobis  
maximam ingerere totius misericordie, &  
felicitationis ab eo consequendæ. Nam &  
fortis est, & potens; unde subest ei, cum vo-  
luerit, posse: & Deus, quod omne bonū  
complectitur: & Deus exercituum, cui  
cælestis militia obsequitur, ut & hostes  
prostrare, & amicos tueri nullo nego-  
tio possit: cui & Angeli obediunt, & om-  
nis cælorum ornatus, stellarum, Solis, &  
Lunæ ad nutum seruiunt. Idem excelsus  
est, quod malum appropinquare non pos-  
sit: ut, qui apud eum commorantur, in-  
tuto habitent: nec ad ipsum perungere  
quisquam, nisi erectus, & tractus ab eo  
vllatenus valeat. Et, cum sit, qui solus, &  
verè est, ac fons totius Essentie, & Esse,  
inanitatem nostram, qui semper ad nihil-  
lum tendimus, participatione sui ipsius,  
quasi guttulas quasdam ex infinito pelago  
sue deitatis aspergens, pro modulo, & me-  
sura, quam ipse partitur, aliquid esse fa-  
cit, tribuens singulis pondus, numerum  
& mensuram. Quod autem & Dominus  
sit, magnam seruis fiduciam præstat, qui  
sub tanto Domino nihil debeant reformi-  
dare. Ia verò Tetragrammati nominis  
pars est, ut quasi pro captu nostro se se de-  
mittens suavius capiatur. Iam Tetragram-  
maton illud ineffabile, si ab esse derivatur,  
ut nonnullis placet, idem significat, atque  
Qui

Sap. 11.



Qui est. Sed non absque rationabili causa fatemur nos videre illud sub caligine, que apud Beatum Dionysium significat lucem inaccessibilem. Postremò sibi soli sufficientem illum esse, hoc docet, quod honorum nostrorum non indiget. Vel, ut in Hebræo est, quod bonum nostrum non ad illum. Quo fit ut & bona nostra humiliter ex illius dono cognoscamus, & ab eo fidenter, quicquid rectè volumus, petamus. Neque enim timendum est, ne ille in sua largitate deficiat, cui, quod donet, deesse non potest. Quis ergo in tanta nominum maiestate, & tot appellationum thesauris, ut Nazianzenus appellat, non omnino consolationibus affluat, sciens, quicquid de Deo dicitur, in suas utilitates redundare? Quam ob rem rectè dicit: Memor fui nocte nominis tui Domine.

*Ep. 5. ad Dorothe.*

*Psal. 15.*

Sed, Memor fui nominis (ait Ambrosius) plena deuotio est. Hoc nomen inuocetur diebus, ac noctibus. Nullum tempus precandi vacuum sinat sancta deuotio preterire. Si studentes igitur doctrinis secularibus perparum somno indulgent, quanto magis, qui Deum cupiunt cognoscere, nõ debent somno corporis impediri? Hec ille. Imò addit nocte maximè id faciendum quia tenebræ operiunt nos, & pericula tentationum ingruunt: ac proinde tum maximè orandum Dominum præsidia postulanda, & cauendas illecebras, nec som-

*Semper inuocandum nomen Domini.*

*Et nocte potissimū*



*Iliad. 2.*

no indulgendum, nisi quantum necessitas postulet. Scimus autem & Homerum profanum alioqui Poetam, introducere quæpiam per somnium monentem Agamemnonem Regem, non licere hominem consilij tota nocte dormire. Sed memoria Domini fortius excitat nos, vt non immeritò

*Cant. 5.*

Sponsa gloriatur in Canticis, se non totam dormire. Ego, inquit, dormio, &

*Epist. 22.**de cust.**virginit.**ad Eustochium.**Et nocte**tribula-**tionis.**Mich. 7.*

cor meum vigilat. Et S. Hieronymus asserat. Sanctos ita dormire, vt etiam somnus illis oratio sit. Et infra Dauid profiteatur. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Poterit etiam, qui volet per noctem intelligere tribulationes, & tentationes, quod non est infrequens in Scripturis, dicente etiam Propheta. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. His enim temporibus Dei meminisse maximum munimentum, & perfugium est suauissimum. Nec dubiè memoria continua Dei acerrimus stimulus est ad custodiam legis diuinæ, vt optimè coniungantur hæc duo, Memor fui nocte nominis tui, & custodiui legem tuam.

Et quia vicissim siue Dei memoria, siue spes in nomine sancto eius ex amore provenit, & inquisitione mandatorum, conuenienter adiungitur. Hæc facta est mihi, id est, hoc cōsecutus sum, vt scilicet memor essem nocte nominis tui, & custodire legem tuam, quia iustificationes tuas exquisiui.

¶ Heb.



71 Heth, id est, Vita.

*Octonarius Octauus.*

- 57 **P**ortio mea Domine, dixi custodire legem tuam.
- 58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.
- 59 Cogitavi vias meas: & conuersti pedes meos in testimonia tua.
- 60 Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.
- 61 Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.
- 62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ.
- 63 Particeps ego sum omnium timendum te: & custodientium mandata tua.
- 64 Misericordia tua Domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.

R 4

57 Por



57 Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.

Solus Deus vera hominis hereditas.

*Psal. 15.*

Primò, quia cetera homine inferiora.

*Conf. l. 13. c. 8.*

Secundò, quia homines imagines tantum rerum temporalium famelica cogitatione lambunt. Vtinam saltem fatigantur

**D**Vplicem sensum habere potest hic versus. Alter est, ô Domine, qui es portio mea, ego dixi, id est, statui, ac promisi custodire legem tuam. Alter est, Domine, ego dixi, portio mea, & hereditas est custodire legem tuam. In prioris sensu magna Dei dignatio, hominum esse partem, & hereditatem: magna hominis dignitas, partem habere talem. Dominus, inquit, pars hereditatis meae, & calicis mei. Et verè funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi. Cetera quippe omnia nec sunt, nec verè esse possunt hereditas hominis.

Primò, quia inferiora sunt omnia: beaturus autem necessariò melioribus, & sublimioribus, quam nos simus. Quam ob causam S. Augustinus ita Deum alloquitur. Nam & in ipsa misera inquietudine defluentium spirituum, & indicantium tenebras suas nudatas veste luminis tui, factis ostendis, quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo factis esse potest ad beatam requiem quicquid te minus est; ac per hoc, nec ipsa sibi.



rentur inedia, ac dicerent, Quis ostendet rum attin-  
 nobis bona? Audirent enim responden- gitur.  
 tem, Signatum est super nos lumen vultus *Aug. cōf.*  
 tui: audirent monentem, Quærite quod *l. 9. c. 4.*  
 quæritis, sed ibi non est, vbi quæritis; bea- *Psal. 7.*  
 tam vitam quæritis in regione mortis? nō  
 est illic. Quomodo enim beata vita, vbi  
 nec vita?

Tertio, quia non intrant ad cor, vbi est *Tertio,*  
 quod beandum est: vt fames, & sitis non *neque res*  
 sedantur, nisi cibus, & potus ad interiora *ad cor in-*  
 intret, vbi indigentia est. *trant.*

Quarto, quia sunt volatica, nec stant, *Quarto,*  
 sed transeunt. Hic est modus eorum: eunt *sunt fu-*  
 vt non sint: & quo magis tendunt vt sint, *gaces.*

eo magis propinquant, vt non sint. Proin-  
 de elegantissimè D. Augustinus. Nunquid *Conf. l. 3.*  
 ego aliquò discedo, ait verbum Dei? Ibi *c. 11.*

fige mansionem tuam, ibi commenda-  
 quicquid inde habes anima mea, saltem  
 fatigata fallacijs veritati commenda quic-  
 quid tibi est à veritate: & non perdes ali-  
 quid, & resflorescent putrida tua, & sana-  
 buntur omnes languores tui, & fluxa tua  
 reformabuntur, & renouabuntur, & con-  
 stringentur ad te, & non te deponent, quo  
 descendunt, sed stabunt tecum ad sēper stā-  
 tem, ac permanentem Deum.

Alter quoque sensus plenus dulcedine *Epist. ad*  
 est, & insignem erga Dei legem affectum *Aprum.*  
 ostendit, cuius custodia pro hereditate, &  
 patrimonio sit. Quem affectum verbis S.



Paulini de Christo loquentis explicare placet. Sibi habeant, inquit, literas suas Oratores, sibi sapiētiā suam Philosophi, sibi diuitias suas diuites, sibi regna sua Reges; nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est, nobis sapientia in stultitia praedicationis, nobis virtus in infirmitate carnis, nobis gloria in Crucis scandalo: quo mihi mundus occiditur, & ego mundo, ut viuam Deo, non autem ego, sed in me Christus. Hæc S. Paulinus. Idem autem est pro hereditate, & portione sua sibi legis Dei custodiam, & Christum assumere. Atque ita vterque hic sensus in idem recidit, quia cuius portio est custodia legis Dei, eius sine dubio Deus est portio. Hæc autem qualis hereditas sit, magnificentissimè, ut solet, & venustissimè Ambrosius explicat. Cui portio Deus est totius possessor est nature. Pro agris igitur ipse sibi satis est, habens bonum fructum, qui nunquam possit perire: pro domibus satis est sibi: ut sit habitatio Domini, & Templum Dei, quo nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Et mox. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius nomen tibi munificum, illius nomen tibi est fructuosum: illius nomen tibi tributa dependit, & bona tributa, non pecuniæ, sed gratiæ. Portio tua non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur. Per diem Sol non vret te, neque Luna per-

Qualis sit  
hereditas  
Deus.

S. Ambr.

Psal. 120.

120



noctem. Serua portionem, quam elegisti.  
 Ea est enim portio, quam terrenæ partes  
 æquare non possunt. Quid enim est, quod  
 conferri possit his, de quibus Deus dicit, *Apoc. 27.*  
 Et inhabitabo in his. Quid magnificentius  
 hospite cælesti? Quid beatius possessione  
 diuina? Et deambulabo, inquit, in his.  
 Alij queruntur de sui ruris angustijs: in te  
 Deo est ampla possessio, in quo deambula-  
 re se dicit, hoc est latæ spatia habitationis  
 inueniens qui terram includit manu. Sic  
 enim scriptum est. *Isai. 40.* Quis mensus est manu  
 aquam, & cælum palmo, & vniuersam ter-  
 ram clausa manu? Cui mundus angustus  
 est, tu ei ampla es Domus. Hæc Sanctus  
 Ambrosius hoc loco. Quibus similli-  
 ma, & sanè quam splendidissima quæso  
 vt videas epistola eiusdem octogesima se-  
 cunda.

Deprecatus sum faciem tuam in toto  
 corde meo: miserere mei secun-  
 dùm eloquium tuum.

**A**liqui Christum Dominum per faciem *Facies Pa-*  
 intelligunt, qui est facies Patris: & *tris Chri-*  
 hoc verissimum est. Eo enim maximè *stus.*  
 desiderio tenebatur Propheta. Duobus au-  
 tem modis in hec sensu intelligo. Altero,  
 vt precari faciem, sit ipsum Dominum, pro  
 vt aliqua orare; & precatio sit quod sequi-  
 tur, Miserere mei secundum eloquium  
 R 6 tuum.



tuum. Altero, vt ipsa facies, id est, conspectus Dei sit id, quod ardentè postulatur. Vtrumque autem in toto corde faciendum est. Nam non frigidè, nec segniter postulanda est misericordia: & facies ipsa Dei toto desiderio quærenda, & expetenda est. Quippe & in hac vita illius aspectus anxie quærendus est; & in alia sine dubio ei toto adhærebitur corde, cum beatitudinis summa in facie eius videnda sit posita. Sed vtrouis modo facies Dei quærat, siue hic per contemplationem, siue ibi per manifestam visionem, oculus diligentissimè est mundandus, quo ea videri possit. Si quidem, Beati mûdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui ergo videre desiderat, puritati cordis acquirendæ diligenter inuigilet: quod per suimet curiosam inuestigationem, & examinationem curandum est. Vnde & subdit.

59 Cogitavi vias meas, & conuertere pedes meos in testimonia tua.

**Examina-**  
**da con-**  
**scientia.** **E**Xamen conscientia, & fructus hoc vericulo apertissimè continetur. Nam cogitare vias suas nihil est aliud, quam seipsū accuratè explorare, ac perscrutari: fructus verò, quod sequitur. Conuertere pedes meos in testimonia tua. Ad hoc enim quisque peruestigare se, & examinare debet, vt vias suas corrigat, & conuertat pedes suos in testimonio-



stimoniam Dei. Sic enim de flere mala debemus, quæ admittimus; ut manu sanctę sollicitudinis abstergamus. Quamobrem *Greg. l. 2. in lib. Regum.*  
 B. Gregorius. Quia sine peccato, inquit, electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidie conentur? Nam, qui quotidie non exhaurit, quod deliquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis.

Secundò, subtiliter bona à malis debemus discernere, ne fallamur. Nam, ut supra ex eodem Doctore dictum est, virtutibus vitia ita contigua sunt, ut sine peculiari Dei lumine, & attentissima inspectione sæpissimè fallamur. *Secundò, Bona vera distinguenda à falsis.*

Tertiò, etiam perpendendum est an ipsa bona perfectius fieri potuissent? Sunt enim innumeræ conditiones, & circumstantiæ, varij gradus, & non pauca rerum momenta; ut, cum bonum ex integra causa consistat, defecisse nos in multis, etiam cum rectè agimus, deprehendere facile possimus. *Tertiò, videndum an perfectius fieri potuerint.*

Quartò, intentio præ omnibus exercitanda. Quippe scriptum est. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Et, Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Matth 6. Ser. 40. in Cant.*  
 Ex quo S. Bernardus tractans illud. Pulchre



sunt genæ tuæ. Duo quædam, inquit, in intentione, quam faciem animæ esse dicimus, necessaria requiruntur, res, & causa, id est, quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus animæ vel decor, vel deformitas iudicatur. Vt, verbi causa, anima, quæ ambo ista recta, atque pudica habuerit, illi meritò, veraciterque dicatur, Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.

Quintò,  
radices  
defectuum.

Iob 13.

Quintò, radices etiam defectuum non oscitanter peruestigandæ sunt; quando & Dominus acutissimo oculo pedum nostrorum radices considerat: vt Septuaginta transfulerunt, quod in Iob legimus. Vestigia pedum meorum considerasti. Non enim abscondi amaritudinis vel furculi, vel fructus poterunt, nisi securis ad radicem arboris ponatur. Non poterit autem poni, nisi radix ipsa, quæ euellenda est, sollicitè quæsitæ, & inueniatur, & in apertum proferatur.

Sextò, cō-  
parandus  
profectus  
& defe-  
ctus.

Cass. coll.  
20. c. 11.  
Septē cal-  
parumge-  
nera in  
quæ etiā  
Sancti ca-  
dunt.

Sextò comparare etiam, & conferre debemus nosmetipsos nobis, vt profectus, & defectus, profectibus, & defectibus, tempus tempori, infirmitatem infirmitati, virtutem virtuti componamus. Quis enim explicet quam multis modis delinquimus? Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionē, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis singulis diebus vel inuiti, vel volentes pec-



peccata incurrimus. Pro quibus & Dauid orans Dominum, purificationem, atque indulgentiam deprecatur, dicens. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Hæc Cassianus, qui pulchrè alibi fere eadem non minus eleganter, pauloque explicatius sic posuit, ostendens, viros etiam sanctos in eiusmodi septem lapsuum generibus (tot enim enumerat) non raro cadere. Aliud est enim, inquit, admittere mortale peccatum; & aliud cogitatione, quæ peccato non careat, præueniri; vel ignorantia, aut obliuionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere; aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare; aut subtili quadam cenodoxie titillatione pulsari; aut necessitate naturæ aliquantisper à summa perfectione recedere. Igitur, qui recta vult progredi, necesse est, vt identidè ponat cor suum super vias suas: &, vbi se aliquid aberrare cognouerit, continuò pedes in viam mandatorum, & testimonia diuina conuertat.

Psal. 18.

Coll. 22.

c. 7. &amp; 13.

60 Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

**F**ESTINAVI, & inturbatus, vel distractus non sum. Hæc enim significant verba Hebræa. Vbi aduertere est, & alacritatem in festinatione, & attentiss-



**Constan-  
tia iusti.**

tissimam curam, atque constantiam in eo, quod dicit se non fuisse turbatum, aut solitudinibus distractum. Talem quippe oportet esse legis Dei obseruatorem, ut, quæ facienda viderit, alacritate spiritus, & feruore non differat: neque contradictionibus siue externis, siue internis aut perturbetur, aut cedat. Sic sancti viri non solum in angustijs Dominum exquisierunt, sed etiam in tormentis. Nec turbati sunt, nec perterriti, quia caritas omnia vincit: quia fortis ut mors dilectio, superat omnia: quia dura, sicut infernus, æmulatio cedere nescit: quia denique lapides ignis, atque flammaram, nec extinguuntur tribulationum aquis, nec obrui fluminibus possunt. Ergo tuta legis custodia est, ubi caminus feruet amoris, quia Dilectio custodia legum Dei est.

*Sap. 6.*

**61** Fines peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

**Memoria  
legis libe-  
rat à la-  
queis.***Proh. 29.*

**P**eccatores homines, & legis tuæ inimici; vel etiam peccatores, inuisibiles hostes, qui incentiua exaggerant ad peccandum, quasi quibusdam funibus circumplexi sunt me, & rete expandunt gressibus meis, ut me caperent; non tamen efficere potuerunt, ut legem tuam obliuiscerer: sed potius memoria eius, quam

num-



nunquam deposui, illesum me inter hu-  
iusmodi pericula custodiuit. Cuius enim *Psal. 36,*  
in corde lex Dei est, non supplantabuntur  
gressus eius.

62 Media nocte surgebam ad confiten-  
dum tibi super iudicia iustificatio-  
nis tuæ.

**S**criptum quidem est in libro Sapientie, *Sap. 16,*  
præueniendum esse solem ad benedi-  
ctionem tuam: sed amor, & desiderium in  
pectore meo clausum appropinquantem  
solem expectare non potest. Media nocte *Nocte*  
non solum memor eram nominis tui, nō *laudādus.*  
solum meditabar in te requiescens in stra- *Deus.*  
to meo, sed surgebam ad confitendum ti-  
bi. Quod autem dicitur, Media nocte.

Primum indicat etiam ipsam mediam *Primò,*  
noctem, & tenebras occasionem esse remi- *ob bene-*  
niscendi Dei. Ipse etenim, vt notat San- *ficiū no-*  
ctis ipsius. *Lib. 2 de*  
ctus Chrysostomus, quasi pia mater velum *Cōpunct.*  
noctis filio in cunis degenti ad quietem *Conf. lib.*  
clementer expandit: vnde suis versibus, *9. c. 12.*  
quorum B. Augustinus meminit, S. Am-  
brosius hanc Dei clementiam celebrat, in-  
quiens.

Deus creator omnium,  
Polique rector, vestiens  
Diem decoro lumine,  
Noctem soporis gratia.  
Artus solutos vt quies

Red-



Reddat laboris vsui:  
Mentesque fessas alleuet,  
Luctusque soluas anxios.

*Secundò,* *Secundò,* ostenditur commoditas no-  
ob cōmo- sturno tempore orandi: de qua S. Bernar-  
ditatem dus. Quam secunda, inquit, ascendit de no-  
temporis. ste oratio, solo arbitro Deo, sanctoque  
*Ser 86. in* Angelo, qui illam superno altari suscipit  
*Can.* præsentandam! Quam grata & lucida ve-  
recundo colorata rubore! quam serena, &  
placida nullo interturbata clamore, vel  
strepitu! Quam denique munda atque sin-  
cera nullo resperfa puluere terrenæ solici-  
tudinis, nulla aspicientis laude, seu adu-  
latione tentata.

*Tertiò,* *Tertiò,* apparet necessitas siue laudis,  
quia sem- siue subsidij, quod indigentiam nostram  
per ege- leuet. Cunctis itaque horis: atque momē-  
tus Deo. tis vtrumque fieri debet. Alterum benefi-  
eijs Dei debemus, quibus vbiq; , semper-  
que fruimur; vt nec tam frequenter, iusta  
*Or. 1. de* Nazianzenum, ducere spiritum debeat-  
*Theolog.* mus, quam Dei nostri, atque beneficio-  
rum eius meminisse. Alterum debemus  
infirmi-  
tati nostræ, quia per singulas ho-  
ras, præsertim nocte, vt notat Ambro-  
sius, temptationibus pulsamur, contra quas  
præsidia conquirere, & orationis arma  
corripere necesse est.

*Studium* *Quartò,* desiderium ostenditur diuinæ  
*diuinæ* laudis flagrantissimum: quia, vt dictum  
*laudis.* est, non modo solem præuenit, sed valde  
præ-



præuenit. Et, dum alij stertunt, & quasi mortis imagine redduntur inutiles, ipse in laudes Dei seipsum excitat, vt nullo tempore siue mens, siue os eius à Dei laudibus fileat.

Perpetua  
opportu-  
nitas al-  
loquendi  
Dei.

Tandem ostenditur perpetua opportu-  
nitas alloquendi Dei: quod maximum est  
beneficium, & consideratu iucundissimū.  
Ad Reges mortales quam difficiles aditus  
sunt? quam sagaciter odoranda, & captan-  
da tempora? quam patienter expectanda,  
vt eorum copia fiat! Sæpè eorumdem  
quies, & humanæ necessitates aditum mi-  
serorum precibus intercludunt. Non ita  
Rex noster. Non dormitat ille, nec dor-  
mit. Vbique nobis, & semper vacat. Sem-  
per ad eum patet accessus, non modò nullo  
ministerorum impediēte, verum & An-  
gelis, & ipso Domino inuitante. Quauis  
hora nobis libellos supplices porrigere li-  
cet, & in eius sinum nostras necessitates  
deponere. Neque aut lumine indigent  
oculi eius, qui videt in abscondito, & ip-  
se lumen est indiciens: aut sopitæ sunt  
aures, cui silentium loquitur. Non enim  
qui plantauit aurem, non audiet: aut qui  
fixit oculum, non considerat: sed oculi  
Domini super iustos, & aures eius ad pre-  
ces eorum..

*Psal. 129.*

*Psal. 93.*

*Psal. 33.*



63 Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

**H**ebraicè, coniunctus, socius, copulatus. D. Augustinus, id ex persona Christi Domini dictum interpretatur: de quo & Apostolus loquitur. Quia communicauerunt pueri carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Et Propheta.

*Heb. 2.*

*Psal. 88.*

*Heb. 3.*

Dignitas  
ex cōmu-  
nicatione  
Sanctorū.

*2. Cor. 10.*

*1. Cor. 12.*

Vnxit te Deus, Deus tuus oleo laticiae præ participibus tuis, vel confortibus tuis. Et vicissim de nobis dicit Apostolus. Participes enim Christi facti sumus. Quæ coniunctio tanquam membrorum cum Christo capite fons nobis est bonorum omnium.

Sed ex hac participatione alia emanat, vt simus inuicem membra. O quid facit cōpaginatio in vno corpore? viuificatio ex vno spiritu? Omnes vnum corpus sumus,

& arctissimo nexi vinculo, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Quanta dignitas? Quale gaudium? Quam sublime, quam amplum exigit pectus, mēbrum esse Christi atque in eodem corpore Prophetis, Patriarchis, Apostolis Martyribus esse concorporeum? vt excellenti participati-

one, si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra: vt & in hac vita operum, ac dignitatum Sanctorum participes simus, & in alia eiusdem gloriæ consortes? Vide quid faciat hæc vnitas.

Quan-



Quantum est, & quale participem esse Petri: participem esse Pauli? ut etiam infirmi quique, modo in Ecclesia permanentes, & caritate coniuncti, perfectissimis copulentur? Sic B. Gregorius illud interpretatur, quod Iob filiabus inter fratres hereditatem dederit, & partem. Ipsæ ergo (inquit hic Sanctus de animabus loquens) ex perfectorum merito speciosæ memoratur: ipse etiã quasi ex imperfectorum typo velut infirmæ hereditatem inter fratres accipiunt. Vfus namque vitæ veteris non habebat, ut hereditatem feminæ inter masculos sortirentur, quia legis seueritas fortia eligens, infirma contemnens, districta potius studuit, quam benigna sancire. Sed pio nostro Redemptore veniente nullus infirmitatis suæ cõscijs, de fortienda cælestis patrimonij hereditate desperet. Pater enim, noster inter masculos etiam feminis iura successionis tribuit; quia inter fortes, atque perfectos, infirmos, & humiles ad sortem supernæ hereditatis admittit. Vbi & Petri, & Pauli, & Sanctorum omnium gaudiũ nostrum erit. Quam sublimes diuitiæ, quam inexcogitabiles thesauri? Quia enim Sãcti in Patria magis de diuina gloria, quam de proprio gaudio gaudent, in quo plus gloriatur Deus, quia maiori gloria fruitur, in illo plus etiam inferior gaudet, & tanquam proprium bonum, sed perfectius, & sublimius in gloriam Conditoris refert.

Lib. 35.  
mor. c. 24.  
Iob 42.



## 64 Misericordia tua Domine plena est terra

Plena  
terra gra-  
tia Chri-  
sti.

Plena  
operibus  
Dei.  
*Psal. 23.*

**P**lena (inquit S. Ambrosius) per Passio-  
nem Domini nostri Iesu Christi, quia  
omnibus est data remissio peccatorum. Su-  
per omnes Sol oriri iubetur. Et hic qui-  
dem Sol quotidie super omnes oritur: my-  
sticus autem Sol ille iustitiæ omnibus or-  
tus est, omnibus venit, omnibus passus  
est, & omnibus resurrexit. Vel certe mi-  
sericordiæ diuinæ plena est terra, quia Do-  
mini est terra, & plenitudo eius: ipse su-  
per maria fundavit eam, & super flumina  
præparavit eam. Etenim per Ecclesiam in  
omnes gentes diffusa est misericordia Do-  
mini: in omnes gentes diffusa est fides.  
Quam magna misericordia, remissio pec-  
catorum? Quam magna, donorum cele-  
stium gratia: Quanta plenitudo, in terra  
regnum cælorum?

Iustificaciones tuas doce me.

*Psal. 93,*

**T**V qui doces hominem scientiam. Tu  
qui mentes illuminas singulorum, &  
claritatem cognitionis infundis, si modo  
aperiant ostia cordis sui, & cælestis gratiæ  
recipiant claritatem. Tu doce me iustifi-  
caciones tuas, quia tu es vera iustitia. Tu  
doce, quæ sapienter dicta sunt, quia tu  
es



es sapientia. Tu aperis cor meum, quia aperuisti librum signatum, quem nullus ante aperire potuit, Misericordia tua plena est terra. *Apos. 5.* Quicquid usquam est, è tua misericordia, imò tua misericordia est. Aperis tuam manum tuam, & imple mare, & terram, & celum, & omnia benedictione. Rogo & ego Domine unam à te misericordiam, Iustificationes tuas doce me. Omnibus rebus id tribuis, quod ad statum, & perfectionem earum pertinet; doce & me iustificationes tuas, ut & ego implear in omnem plenitudinem tuam.

☩ Teth, id est, Bonum

*Octonarius Nonus.*

65 **B**onitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum.

66 Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

68 Bonus est tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

69 Mul-



69 Multiplicata est super me iniquitas  
superborum: ego autem in toto cor-  
de meo scrutabor mandata tua.

70 Coagulatum est, sicut lac, cor eo-  
rum: ego verò legem tuam medita-  
tus sum.

71 Bonum mihi, quia humiliasti me: vt  
discam iustificationes tuas.

72 Bonum mihi lex oris tui, super mil-  
lia auri, & argenti.

65 Bonitatem fecisti cum seruo tuo Do-  
mine, secundùm verbum tuum.

**Q**uid ni bonitatem faciat, qui totus  
bonus, imò ipsa bonitas est? Proprium  
est illi bonitatem facere, sicut & verè bo-  
num esse. Hanc bonitatem, quia vnica vo-  
ce, vel vnica sententia promere non po-  
test, variis Scriptura vocibus, & proprie-  
tatibus quasi per partes delineat, nec ex-  
primit, sed adumbrat. Nunc bonitatem,  
vt hic, & alibi frequentissimè. Nunc be-  
nedictionem, vt ibi. Implet omne animal  
benedictione. Nunc misericordiam. Mi-  
sericordia Domini plena est terra. Nunc  
dilectionem, nunc indulgentiã, vt apud  
Isaiam. In dilectione sua, & indulgentia  
sua ipse redemit eos. Nunc clementiam,  
vt quoniam clementissimus est, de eo po-  
tius, quam de rege quocunque dictum ac-  
cipiamus à Sapiente. In hilaritate vultus  
Re-

Benigni-  
tatis di-  
uinae no-  
mina.

*Psal* 144.

*Psal* 32.

*Isai* 63.

*Prou* 16.



IN PSAL. CXVIII.

409

Regis vita : & clementia eius quasi imber  
 serotinus : Nunc suauitatem. Memoriam *Psal. 134<sup>o</sup>*  
 abundantiae suauitatis tuae eructabunt. Nunc  
 dulcedinem. Quam magna multitudo dul- *Psal. 30.*  
 cedinis tuae Domine, quam abscondisti ti-  
 mentibus tuis : Quae ipsa absconditio dulcedine  
 dulciorem reddit. Significat enim absconde-  
 re, condere, asseruare. Qua voce etiam in  
 Cantico amoris utitur Sponsa, dum ait. *Cant. 7.*  
 Omnia poma noua, & vetera seruauit, seu  
 abscondi tibi, Dilecte mi. Habet enim  
 Deus quasi penu, & promptuarium dulce-  
 dinis, unde ad manum habeat semper eam  
 proferre nobis. Imò si dicere fas est, ipse si-  
 bi pro nobis penu, & promptuarium dulce-  
 dinis est. Nam si licuit Isidoro Pelusiotae *Lib. 2. Ep.*  
 Timotheum quendam, sanctum quidem *151.*  
 uirum, sed tamen humuncionem vocare  
*ἑμῶν φιλικῶν ἀρωπίας καὶ τέλει* ἡμερῶν τι-  
*μῶν*, id est, penu humanitatis, & man-  
 tudinis templum, cur non magis me-  
 to vocemus Deum penu, aut thesaurum  
 immensum dulcedinis ? Interdum etiam  
 scriptura bonitatem Dei ( quod affectus  
 misericordiam, & suauitatem perfectius  
 indicat ) appellat viscera. Quomodo con- *Isai. 53.*  
 ueritur Isaias. Vbi est multitudo viscerum  
 tuorum ? Sed in tanta mellis copia non  
 est aculeus, quo simul pungamur, & ex-  
 temur, cum idem Psalmographus, post-  
 quam dixisset Domino. Cum Sancto san- *Psal. 17.*  
 ctis, & cum viro innocente innocens

S  
 eris,



*Psal. 17.*

eris, & cum electo electus, subdit, Et cum peruerso peruerteris, id est, cum homine peruerso durius ages, & lenitate paulisper retracta, consilia eius disperdes: vt euntes discamus, quid sit. Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Et item. Cum timore, & tremore vestram salutem operamini.

*Psal. 1.**Phil. 2.*

Benignitas Dei erga seruos.

Ad quam etiam ipse Deus obligat se.

Sed quod amplius hanc bonitatem, & suauitatem Dei commēdat, illud est, quod sequitur. Cum seruo tuo. Quippe cum homine seruilis, & abiectæ conditionis. Nam si te suauem fratri, filio, vel sponsæ exhiberes, quæ omnia diuina tua dignatione nos efficit, non miraremur. Nunc autem etiam cum seruo bonitatem communicare magnæ amabilitatis, magni amoris indicium est. Accedit ad cumulum consolationis, quod huius te suauitatis & sponsorem exhibes, & debitorem. Hoc enim sonat secundum verbum tuum, id est, secundum promissum. Quia enim nemini quicquam debes, ipse te non tam nobis, quam tibi ex tua pollicitatione debitorem exhibes: vt per duas res immobiles, id est, bonitatem tuam, & promissionem fortissimum solatium habeamus, qui ad anctoram sp̄ci confugimus.



66 Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

**T**V quidem Domine bonitatem, seu suavitatem fecisti mecum, & tamen eam doceri simul cum disciplina, & scientia postulo. Bonitatem, & suavitatem cum proximo, Disciplinam mecum, Scientiam erga te. Hæc enim tria & mandatis tuis custodiendis necessaria sunt, & ex mandatorum custodia hauriuntur. Bonitas, & Suauitas suauitas erga proximum maximè necessaria est, quæ ex ipsa communione naturæ, & socialis vitæ instituto exhibēda est: quoniam eæ nostra infirmitate compatimur ad subueniendum indigentibus: vt habeāt *Gen. 1.* germina vnumquodque semen iuxta genus suum, vel secundum similitudinem. Sic enim legit, & allegoricè explicat S. Augustinus. *Conf. l. 13. c. 17.* Et sanè quid suauitatis à te expectare possit, qui durus erga proximos fratres suos, filios tuos esse cognoscitur? Debet potius quisque, quam abs te recepit, suauitatem in proximos refundere: vt oleo misericordiæ exuberās gloriari possit. Ego *Psal. 51.* autem sicut oliua fructifera in domo Domini. Quid enim si Oleaster, imò syluestris arbor progenita est, nunquid non in bonam oliuam inserta est, cum surculum



caritatis, & supernaturalis dulcedinis accepit?

Disciplina erga se.

Ergo sic impinguatus, & oleum stillans in proximos, debet & disciplinam habere erga se. Custodiam quippe, & disciplinam quisque sibi necessariam videt, si videt. Est autem disciplina correctio, & eruditio, & sollicitudo se ipsum seruandi, vt à malis abstineat, à voluntate sua auertatur, ab excrecentibus inutilibus surculis se repurget, ad Domini semper se voluntatem dirigat. Nec prætereundum est vocem Hebræam **DUVO**, quam interpret transfudit disciplinam, significare gustum, & saporationem: quo innuitur, non quâcumque disciplinam esse optandam, sed quæ ex intimo sensu, & affectu boni proficiscatur, & quæ discretionem saporum vnum quodque sapere faciat id, quod est. Quam saporationem, & discretionem gustus in primo parente perdidimus, sed tua Domine in primis gratia, & nostra accurata diligentia reparamus: quia, sicut auris verba dijudicat, sic fauces comedentis saporem, vt inquit B. Iob. Hanc verò eruditionem, quam Græci *μαθησιαν* quasi puerorum institutionem, &, vt ita dicam, dolationem appellant, initio non esse gaudij, sed mæroris Apostolus asserit ad Hebræos: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.

Iob 12.

Hebr. 12.

Scientia

Iam verò suauitatem cum proximis, disciplinam



disciplinam erga se, consequitur scientia de deo, & te, & erga te, vt incipiam cognoscere mirabilia de te, & magnalia tua acutius introrspicere; Qualia sint iudicia tua, quam recta, quam suauia intelligere: quali erga tuos sapientia, & prouidentia vtaris, manifeste cognoscere. Hæc igitur eo modo & ordine postulo, vt doceas me, quia mandatis tuis credidi: & æquum est, vt quandoquidem exortum donasti, dones & incrementum.

67 Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

**B**ona humiliatio, quæ peccatis aditum obstruit: bona humiliatio, quæ viam ad eloquia custodienda parat: amplectenda afflictio, quæ tales fructus germinat, fructus veræ sapientiæ, & dulciores super mel, & fauum. Exiguum enim, inquit scriptura, in opere illius laborabis; & cito edes de generationibus illius. Ita erudis nos, & flagellis instruis disciplina. Vexatio enim dat intellectum auditui: & multi in flagellis, & disciplina domini facti sunt sapientiores, qui in prosperis desipiebant. Si autem intelligamus non humiliationem, qua atterimur, sed humilitatem, qua docemur, etiam sic, imò multo magis & mala declinamus, & tua eloquia custodimus. *Qua-*

*Humilia-  
tio utilis.*

*Psal. 18.*

*Ecol. 6.*

*Isai. 28.*



*Iob 6.*

re peto dulcissime Pater, vt afflingens me dolore non parcas, nec sermonibus tuis contradicam, modo paternè erudias, & instruas me. Sed vehementius oro spiritum humilitatis mihi donari, quo noxim te, no im & me. Quo mala defleam, quæ humilitatis defectus minora suggerit; bona studiosissimè conquiram, quæ humilitatis profectus maiora ostendit. Sic enim sæpe delinquo, si nō bonum malum, & malum bonum ponens, tenebras lucem, & lucem tenebras, saltem maiora minima, minima magna reputans. Adesto lumen veridicum vt etiam tenebræ loquantur mihi.

*Isai. 5.*

68 Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Deus bonus simpliciter.

*Gen. 1.*

c. 4. de diuin. nom.

Bonitatem prædicaueram, bonitatem doceri postulaueram. Nunc verò bonum te prædico, bonum simpliciter, & essentialiter. Dicimus enim bonam domum, bonam possessionem, bonam terram, bonos caelos; bona Solem, Lunam, & Stellas: & denique quicquid fecisti, vidiſti quod bonum esset. Sed quantum est hoc ad totius boni bonum, bonum simpliciter, & totius boni fontem? Quod nomen Theologi, vt asserit S. Dionysius, summæ Deitatis peculiariter ex omnibus applicant, ipsam tuam substātiā bonitatem appellantes.

Et



Et qui eo ipso, quod es bonum, & substantiale bonum, in omnia, quæ sunt, præ-  
tendis bonitatem. Nam quemadmodum  
sol iste visibilis, eo ipso quod est, illuminat  
omnia, quæ pro modo suo participationē  
lucis admittant; ita summum tu, & ineffa-  
bile bonum, solem non secus, atque obtu-  
sam imaginem primitiua excellenter for-  
ma superans, ipsa tua substantia, libera ta-  
men voluntate, omnibus, quæ sunt, pro  
captu cuiusque totius bonitatis inijcis ra-  
dios: qui & à creatura intellectuali, & ra-  
tionis tui capace, tum experte miro modo  
participantur; ut tam plena sit terra boni-  
tate tua; quam plena possessione. Eo enim  
quod sunt, possessio tua sunt. Quippe esse  
non possent nisi ex te, & in te essent.

Bonitas  
Dei in  
creatione  
rerum.

Sed excellentius apparet bonitas, in ope-  
ribus gratiæ, in sanctificandis, & beandis  
Angelis, & hominibus. Quam boni spe-  
ciem etiam in Angelos, & homines diffun-  
dis, cum benignitatis, & bonitatis tuæ ra-  
dios, quasi silentio nuntiantes infundunt,  
& ad inferiores mirabili caritate deriuant,  
ut eos ad te summum principium reuocet.  
Sed super omnia, Domine Iesu, qui verè,  
ac summè bonus es, beatissimos radios  
tuos alto cordi in silentio excipiamus; &  
ab ipsis illustrati ad diuina tua, & beni-  
gnissima opera contuenda inardescamus.  
Nā tametsi ineffabilis bonitatis est, quod  
quæ non erant, subsistere voluisti; & quod

Clarior in  
operibus  
gratiæ.



*Epif. 8. ad Demophilum.* ca omnia, quæ sunt, ad esse produxisti, longè tamen bonitatem tuam luculentius explicat, quod à te auersos, ac resiliens amatorie sequeris; contendisque, ac deprecaris, ne te ij deserant, quos tanta vi amoris inquiris. Hac igitur bonitate fretus, nihil mirum, sic oculos audeo attollere, & vocem leuare, vt in bonitate tua doceas me iustificationes tuas.

*In Dei bonitate spes nostra.* Hæc enim vox, Bonus es tu, & vocem continet confessionis, & laudis, qua bonitatem tuam deprædico: & simul fiduciam, cui innixus peto, vt me doceas iustificationes tuas: & simul etiam modum, quo instrui peto, nempe in bonitate tua. Non enim auderem petere, nisi quia bonus es. Hæc est tota fiduciæ meæ ratio, non quia sanctus sum ego, non quia merui, sed quia tu bonus es.

*Cupit doceri primo suauiter.* Peto etiam doceri in suauitate. Scio namque, quod doceas interdum tribulationibus, & tentationibus, vt vexatio det intellectum auditui. Scio, & pro his etiam gratias ago, quoniam sic erudis me, & vias meas lapidibus quadris concludis, sepiens vias meas spinis, & sepiens eas maceria, ne, etiamsi cupiam, deuiem. Sed magis peto, quandoquidem bonus es, & suauis, vt in bonitate tua doceas me. Nosti enim docere, & instruere, & illuminare etiam suauitate, quia mitis es, & humilis corde: quia & lenis es, & vinctio tua docet nos:

*Matt. 11.*



IN PSAL. CXVIII.

417

nos: sicut scriptum est. Vnctio eius docet *1. Jo. 2.*  
vos de omnibus.

Sed & alio modo cupio doceri in suauitate, vt ipse suauis sim. Quæ tamen suauitas tua est, quia munus tuum est. Nō enim frustra ait Apostolus. In scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto. *2. Cor. 6.*  
Ergo cupio omnibus in dulcedine spiritus esse suauis, ac dulcis, vt dicere possim & ipse cum Sponsa. Dilectus meus descendit in hortum suum, vt comedat fructus dulcium pomorum suorum. Hi sunt fructus spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hi sunt fructus suauitatis. Et ipsa tibi anima fructus dulcedinis est, quæ veluti pomum in feracissima, ac diuinissima Crucis arbore diu pendens, ex illius radice succum hauriens, radijs tuis, id est, cælestis solis excoctum suauissimè non solum abs te comeditur, sed à proximis manducatur. *Quæ gratissima est Deo, & proximis.*  
Quid enim dulcius, & fragrantius quam anima; quæ omni acerbitate deposita, hoc modo mitigata, ac veluti matura rore misericordiæ imbuta, pietatis visceribus affluens, prona compati, subuenire prompta, ignoscere facilis, irasci difficilis, vlcisci penitus non acquiescens, proximorum, æquè vt proprias, respicit necessitates & omnibus omnia se se facit: vt omnes lucrifaciat Christo? Omnis in vobis, inquit, *1. Cor. 9.*

S 5 Ber-



*Ser. 12. in  
Cant.*

Bernardus, qui fraternas infirmitates tam corporum, quam animorum non solum patienter supportat; sed insuper, si licet, & si valet, iuvat obsequijs, confortat alloquijs, consilijs informat. Si hoc per disciplinam non potest, sollicitis saltem orationibus solatiari non cessat infirmo. Omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino spargit odorem inter fratres, & odorem de vnguentis optimis. Balsamum in ore huiusmodi frater in congregatione. Monstratur digito: & dicunt de eo omnes, Hic est fratrum amator, & populi Israel.

*2. Mac. 15.*

Hic est, qui multum orat pro populo; & vniuersa sancta ciuitate. Nec immerito non solum alienae consolationi, sed propriae alacritati consulens, in bonitate, & suauitate doceri cupio.

*Docetur  
proprie  
quidiscit.*

Doceri autem cum dico, discere dico. Nemo enim proprie docet, & discipulus nihil discit. Loqui potest, illuminare potest, exhortari potest; sed, si ille non discat, docere non potest. Propriae vero alacritati consulo, quia sine tua suauitate segnis, &

*Ber. ser. 9.  
in Cant.*

tardus pro mea infirmitate sum: nam praerentis animi languore, atque hebetudine mentis, de suauitate spiritus, aut nihil, aut parum sentio. Et, si quid operor, siue

*Isai 38.*

contra tentationes inuigilo, siue recogito annos meos in amaritudine animae, siue resisto vitijs, siue lectioni insisto, aut orationi incumbo, totum de consuetudine



dine constat, de dulcedine nihil; vt prorsus ad suauitatem spiritus tui, anhelans osculari me petam ab osculo oris tui: in cuius tactu perfusis labijs pinguedine gratiæ specialis, sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis te laudet os meum. *Psal. 62.*

69 Multiplicata est super me iniquitas superbiorū: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

**Q**uam multiplex, quam importuna, quam molesta sit hæc superbiorum iniquitas, id est, præcipuè malignorum spirituum, nouit omnis, qui in spiritu ambulat. Aduersus quam iniquitatem nullū efficacius perfrugium, nulla turris fortior, quam scrutari mandata tua: sed scrutari in toto corde. Sic enim & ipse statueris mihi turris fortissima: vnde mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, aduersus quam frustra omnia tela nequissimi ignea iaciuntur. Et sagittæ paruulorū sunt plagæ eorum. Tu enim es robur meū, petra mea, propugnaculum meum, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, clypeus meus, cornu salutis meæ, arx fortitudinis meæ. In quo etiam experior suauitatem, & bonitatē, de qua tam multa locutus sum: cui vtinam vel ex parte respondeam. Exigit enim ipsa à me,

*In Deo  
ab inimicis  
max.  
Cant. 4.*

*Psal. 17.*



Cui debe-  
tur gra-  
tiarum  
actio.

*Psal. 12.*

Benedi-  
ctio.

*Psal. 117.*

Magnifi-  
catio.

Primò, gratiarum actionem pro acce-  
ptis miserationibus, iuxta quod scriptum  
est. Cantabo Domino, qui bona tribuit  
mihi.

Secundò, benedictionem. Non enim  
cessat te benedicere, & laudare quæcunque  
recogitat miserationes tuas super se: sed  
confitetur tibi, quoniam bonus, quoniam  
in seculum misericordia tua.

Tertiò, beneficiorum magnificatione,  
& exaltationem: quoniam beneficia tua  
magna, frequentia, & innumerabilia sunt,  
quæ in immeritum contulisti.

70 Coagulatum est, sicut lac, cor eorū:  
ego verò legem tuam meditatus  
sum.

Duritiem  
quæ signi-  
ficent.

*Ezech. 3.*

*Zach. 7.*

*Iob 41.*

Quidam intelligunt incrassatum, indu-  
ratum, ut duritiam cordis significet.  
Sed quamvis lac valde coagulatum sit, mi-  
nus opportunè accipitur ad duritiem signi-  
ficandam. Multa sunt, quæ congruentius  
duritiem exprimant: quam Scriptura la-  
pidi, silici, adamanti, incudi comparat. Ut  
adamantem, & ut silicem dedi faciem tuā,  
dicitur Ezechieli. Cor suum posuerunt ut  
adamantem ait Zachariās. Et in Iob. Cor  
eius indurabitur tanquam lapis, & strin-  
getur quasi malleatoris incus. Hæc & eius-  
modi sunt, quæ duritiem aptius signifi-  
cent. Commodius intelligeretur heberu-  
do



do mentis , & quasi crassitudo , per quam fit , vt impij ad diuina intelligenda tardi , obtusi , prorsusque inepti reddantur:quam hebetudinem cordis , & obscuritatem ( vt Apostolus vocat , dum ait , Obscuratum est insipiens cor eorum ) ipsa inducunt peccata. Sed magis tamen puto , coagulati lactis fieri mentionem , non propter crassitatem , aut duritiam , sed propter com- maculatam sinceritatem , & simplicitate. Quod enim fermentum est conspersioni , hoc coagulatum lacti. Quemadmodum ergo nonnunquam fermentum in bonam partem accipitur : quomodo Euangelica illa mulier abscondit in farinae satis tribus , donec fermentaretur totum : & nonnunquam in malam ; vt cum Dominus a fermento Phariseorum moner. cauendum , & Apostolus praecipit expurgari vetus fermentum : & modico fermento asserit totam massam corrumpi : ita & coagulatur quasi caseus in bonam partem corpus nostrum ; & tamen hic reprehenditur coagulum , quia sinceritatem , & puritatem lactis sua commistione corrumpit. Itaque , quoniam iniquitas coagulatum est , quo iniquorum corda vtiantur , & se Propheta vitiosus huiuscemodi hominibus opponit , hoc videtur dicere. Illi puritatem , & sinceritatem lactis , id est , bonum naturae , & gratiae à Deo acceptum , sua iniquitate vitiantur : ego vero legem tuam meditans ,

Rom. 1.  
Coagulū,  
vt fermē-  
tum in  
vtranque  
partem  
accipitur.

Matt. 13.

Mar. 16.

1. Cor. 9.

Iob 10.





tuisque mandatis inhærens, simul verba tua, quæ verè lac sunt, & suauiter nutriunt, sincera custodiui, simul me ipsum in sinceritate, & dulcedine, quam contulisti, illæsum seruaui. Plura autem sunt, quæ in lacte considerari possunt aptissimè diuinæ legi, mandatisque respondentia.

Lac legi simile.

Primò, candore.

Primò enim candorem, & splendorem exhibet, quo animos, oculosque hominum in se mirificè conuertit: vnde scriptum est. *Lex Domini immaculata conuertens animas.*

*Psal. 18.*

Secundò, sapore.

Deinde suauitatem, & dulcedinem, quo nomine frequentissimè in Scripturis lac cum melle coniungitur.

Tertiò, alimèto.

Deinde vim habet maximam nutriendi; & paruulis nutriendis aptissimum est. Quod verba Domini suauissimè præstant.

*1. Pet. 2.*

Quo nomine Beatus Apostolus Petrus hortatur nos, vt quasi modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscamus: si tamen, inquit, gustastis, quoniam suauis est Dominus. Quippe huius lactis dulcedo, & nutrimentum non aliunde, quam de ipsius Domini dulcedine, & vita deriuatur. Vnde antiqua Ecclesiæ consuetudo erat, cuius B. Hieronymus contra Luciferianos, & alij Patres meminerunt, vt egressi de baptismo lactis, & mellis prægustarent concordiam ad infantia significationem. In nouam enim infantia ætatem renati infantium lacte Dei suauitatem

Lac, & mel post baptismū gustari olim solita

tem



tem degustantes, & delicijs affluunt, & nutriuntur. Ad quod etiam nos Isaias hortatur dicens. Vt fugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius ( id est, Hierusalem ) vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. *Isai. 66.*

Nec alia lactis proprietates à proprietate legis Dei dissidet. Refrigerat enim nimium corporis calorem; & acrimoniam, ac salcedinem ingenta suauitate lenit; vt non solum cibus sit, sed etiam medicamentum: quod ijs, qui sanguinem expunt maxime conducit. Scimus autem sanguinem in Scripturis, Patribus omnibus consentientibus, & peccatum significare, & concupiscentias carnis, quæ diuini verbi lacte sanantur: cum acrimonia, & salugo ab Adam inuicta Christi Dei nostri gustu, & nutrimento reprimuntur. Quod non obscure Hemorroissa illa testata est, quæ solo vestimenti Domini contactu sanitati est mirabiliter restituta. Et, quod magis mirere, non solum verba ipsa Dei lac sunt, sed ex participatione eiusdem Verbi Dei nostri, qui per carnem (vt ait Sanctus Augustinus) infantia nostra lactescere voluit, etiam sancti viri lac sunt: vt merito cordi coagulato, & vitiato etiam se ipsum Propheeta opponere possit. Quod B. Gregorius in illa verba Iob, Sicut lac mulsisti me: sic paucis explicat. Mens etenim nostra cum per sancti Spiritus gratiam ab ysu vetustæ *Mar. 5.*  
*Conf. l. 7. c. 18.*  
*Lib. 9. c. 29.*  
*Iob 10.*

con-



conuersationis abstrahitur, sicut lac mulgetur, quia in quadam nouæ inchoationis teneritudine, & subtilitate formatur. Qui pura de lacte spiritualiter, eiusque proprietatibus videre desiderat, habet pulchra apud

*l. 1. Peda.*  
*c. 6.*

71 Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

*Mali flagellis indurantur.*

*Jerem. 5.*

*Prov. 27.*

*Ezec. 24.*

SI humilitatem pro afflictione, & humiliatione accipimus, & vexatione, qua nos Deus affligi permittit, patet discrimen inter Sanctos, & indisciplinatos, ac duros homines. Hi enim flagellis attriti non ideo purgatur, sed duriores fiunt. De quibus dictum est. Percussisti eos, & noluerunt doluerunt: attriuisisti eos, & noluerunt recipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuertere. In enim malitia illis adhærescit, vt quasi gluma ab ijs auelli non possit. Quod elegantissima similitudine Salomō sic explicat. Si contuderis stultum in pila, quasi Ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Quod sub alia similitudine rubiginis significatissime Ezechiel depingit. Pone quoque eam, inquit (id est ciuitatem sanguinum & peccatricē) super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur

ru-



rubigo eius. Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. At contra Sancti viri flagellis, & humiliationibus non minus mundantur, quam atteruntur, vt cognoscant bonū sibi esse, quod fuerint humiliati. Quamuis enim (vt ait S. Ambrosius) humilitas hæc, id est, afflictio, virtus non sit, virtutem tamen sæpe generat: & fit non poena, sed remedium delinquētis. Nam si peccatis tuis tribuas, quod humiliatus es, quicquid acciderit, in te retorques; & ex reo incipies esse iustus, qui te ipse condemnas. Sic igitur homo ex humiliato fit humilis. Humilis autem lucidius discit, agnoscitque Dei iustificationes. Paruulis enim reuelantur. Et sunt verba Dei profundissima; vt, si non descendat animus, attingi non possint. Descendere autem haud facile potest, nisi humilitatis pondere demittatur. Vnde & Apostolus cum scientiam latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profunditatis non quorumlibet, sed Sanctorum esse dixisset, subdit. In caritate radicati, & fundati. Vides radicem fructus non ferre, nisi in terra abscondatur: nec ædificiū surgere, aut in altum attolli posse, nisi fundamenta profundè iaciantur. Meritò itaque gloriatur Propheta didicisse se iustificationes Domini, quia flagellis purgatus, & humilitate in ima deiectus, profunda, & mystica potuit penetrare.

Sancti vero mundantur.  
S. Ambr. in ver. 67.

Humilitas docilis diuinorum.  
Matt. 18.

Ephes. 3e





72 Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.

*Prov. 8.*  
Quam  
pretiosa  
lex Dei.

*Baruc. 3.*

**N**Equè argentum, neque aurum cum diuina lege vllò modo conferri possunt. Melior est enim Sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei nō potest comparari. Non ergo magnum quid dicitur, cum super millia auri, & argenti suavis, & grata esse perhibetur. Sed quia aurum, & argentum est, in quo confidunt homines; & quod sibi tanquam certissimum præsidium ad omnia cumulant; qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum, quamuis ea neque pacem, neque sanitatem, neque vitam conferre possint: idcirco illa memorans, quæ errore obcæcati magna putant homines, cum super hæc legem Dei iucundiores habere se dicit, super omnia dicit, quæ homines magnificare solent. Quo enim modo magnitudinem sui amoris erga diuinam legem aptius, ad communem vulgi captum explicaret, quam illam sibi dicens bonam, iucundamque super millia auri, argenti que pondera esse; cum tamen passim homines cæci, ac miserabiles ei vel lucrum exiguum anteponant?

od,



¶ Iod, id est, Principium.

*Octonarius Decimus.*

- 73 **M**anus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.
- 74 Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua speraui.
- 75 Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.
- 76 Fiat misericordia tua vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo.
- 77 Veniant mihi miserationes tuæ, & viam: quia lex tua meditatio mea est.
- 78 Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.
- 79 Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.
- 80 Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.



73 Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.

**M**ulta paucis hisce verbis continentur. Apparet enim.

Primò, ingens hominis dignitas.

Secundò, animi gratitudo.

Tertiò, vox confessionis, & laudis.

Quartò, ratio petendi.

Quintò, fiducia impetrandi.

Sextò, tum quid à Deo optandum, petendumve sit: tum ad quem finem conditus homo, & plasmatus fuerit.

Sed quod dicit. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. Facere ad animam aliqui referunt, quæ in mediâ & creaturâ à Deo, & corpori infunditur. Plasmare, ad corpus. Significat enim vox hebræa perficere, formare, consolidare: qua voce utitur Iob cum ait. Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est? (id est servum) & formavit me in vulva vnius? Sed hanc formationem, & plasmationem in utero elegantissimè idem Psalmographus descripsit, cum ait. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, id est, in utero matris: & substantia mea in inferioribus terræ; id est, neque occultata est à te substantia mea, dum quasi in subterraneo specu materno

*Iob. 31.*

*Mira corporis humani formatio.*

*Psal. 138.*



IN PSAL. CXVIII. 429

finu abscoederetur. Quo loco pro substantia  
 mea, in Hebraeo contextu, est vox  
**וּרְפָאָה** à verbo **רָפָא** quod est Phry-  
 giorum more acupingere. Qua fere voce  
 in eandem sententiam Itali dicimus *rac-  
 camare*. Vt Propheta ad significandam di-  
 uini operis miram subtilitatem in cor-  
 poris humani formatione se quasi acu su-  
 btilissimè depictum, & ossium contextu,  
 neruorum implicatione, varijsque mem-  
 bris, ac partibus veluti opere Phrygionico  
 elaboratū profiteatur. Quod B. Iob etiam *Iob 10.*  
 agnoscit, cum ait. Pelle, & carnibus ve-  
 stisti me: ossibus, & neruis compegi-  
 stisti me: vitam, & misericordiam tri-  
 buisti mihi: & visitatio tua custodiuit spi-  
 ritum meum. De hac admirabili forma-  
 tione non solum ex nostris Lactantius li-  
 bro de opificio Dei, sed etiam ex Genti-  
 libus, Galenus libro de vsu partium egre-  
 giè philosophatur. Et de numero ossium  
 ingenti (sunt enim vt Anatomi dicunt  
 minimum trecenta quatuor.) De neruis,  
 venis, & arterijs, musculis: de singulis  
 membris, de vsu, & vtilitate illorum, &  
 quare ita formata sint, mira diuinæ Sa-  
 pientiae, & artificis demonstratione lo-  
 quitur. Præcipuè verò de oculis, quos ap-  
 pellant Soli simillimos: de illorum situ,  
 illorum figura, constitutione, humoribus,  
 chrySTALLINO, vitreo, foraminibus, spiriti-  
 bus, & ceteris omnibus adeo exquisita  
 -orp



profert; vt ipsemet homo alioqui minimè  
pius in pietatis affectum proruperit. Què,  
inquit, Conditoris nostri verum hymnum  
compono : existimoque in eo veram esse  
pietatem: non Hecatombas sacrificare, sed  
si nouerim ipse primus, deinde & alijs ex-  
posuerim, quenam sit ipsius sapientia, quæ  
virtus, quæ bonitas. Quod enim cultu con-  
ueniente voluerit exornare omnia, nulli-  
quæ bona inuiderit, id perfectissimæ bo-  
nitatis specimen esse statuo. Et hac quidè  
ratione eius bonitas hymnis nobis est ce-  
lebranda. Cur autem Deus hominem ita  
fecerit miris quidem modis in vtero effor-  
matum, tamen ex terra, lutoque composi-  
tum, deinde spiritum immortalem luto  
coniunxerit: quod & sanctus Ambrosius  
hoc loco egregiè tractat, sanctus Gregorius  
S. Naz. ser. Nazianzenus, paucis, vt solet, verbis magna  
de nativ. complectens, hunc in modum docet. Crea-  
uerat, inquit, Deus inuisibiles Angelo, mè-  
est or. 38. tesque puras, diuinitatis ipsius propinquas,  
& or. 2. in intellectu præditas, sola mente intelli-  
Pascha. gibles. Creauerat & mundum visibilem,  
terram, cælum, solem, astra: & erant hæc  
suis finibus contenta, nulla communica-  
tione coniuncta. Voluit ergo tertiam  
quandam naturam ex inuisibili, & visibili,  
id est, hominem fabricare, atque ex mate-  
ria, & intellectuali anima, spiraculum vi-  
tæ à se inferens, veluti alterum quendam  
mundum magnum in paruo collocare  
(pul-

Homone-  
xus ac ve-  
lut copen-  
dium re-  
rum om-  
nium.

Gen 2.

S. Naz. ser.

de nativ.

Dom. que

est or. 38.

& or. 2. in

Pascha.



IN PSAL. CXVIII.

431

(pulcherrimè enim contra quam Plato, & Homø Philosophi censuissent, qui hominem par-  
 tum mundum vocabant, ipse magnum in hoc paruo mundo constitutum appellat.)

magnus mundus.

Collocavit in terra Angelum alium, mistum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intelligibilis mysten. Eorum quidem, quæ in terra sunt, Regem: superis autem subditum: terrenum, & cælestem: caducum, & immortalem: visibilem, & intelligibilem: medium inter magnitudinem, & humilitatem; eundem spiritum, & carnem; spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam: illud, ut maneat, ac benefactoris gloriam prædicet: hoc, ut vexetur, ac per vexationes admoneatur; & ob magnitudinem glorians erudiat, atque castigetur: animal hic gubernatum, atque alio demigrans: Et, quod mysterij extremum est, per animi ad Deum pro-  
 pensionem deificatum. ] Vnde alibi idem

Or. 34.

Sanctus idem nobis euenire dicit, quod alicui, qui citharam pulcherrimè elaboratam, eiusque concinnitatem, ac suauissimum sonum percipiens nil aliud, quam citharæ conditorem, ac citharæ dum mente reputat.

Dignitas hominis ex modo suæ conditionis.

Porrò quod dicitur. Manus tuæ fecerunt me: sanctus Basilius homilia vltima in Exameron, Nissenus orat. 2. de conditione hominis, & S. Ambrosius tum alibi, tum in hunc locum, notant magnum esse, &

ma-



magnificū planè de homine elogiū, quod à Salomone in Prouerbijs iuxta Septuaginta dictum est: Magna res homo : quod ex eo confirmant, quod in Genesi dictum est. *Faciamus hominem*, & tamen de firmamento, luce, astris, Sole, Luna, & omnibus quæ oculis cernimus, nihil tale dictum est, sed tantum fiat lux, fiat firmamentum &c. *Homini* porro creandi, inquit S. Basilius, quæ fuit formula? Nequaquam dictum est fiat homo, sicut illud, fiat firmamentū: in creando enim homine quoddam contemplari licet augusti<sup>9</sup> creatione lucis, cæli, luminarium.

*Psal. 148.* Et S. Ambrosius. Cetera dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt: vt homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tanquam laborantis Dei in huius munere creaturæ significetur operatio. Deus quidem expers laboris est, sed tamen Scripturæ verba quid aliud nisi studiosam tui ob gratiam eius operationem ostendunt? Eadem verba perpendit S. Gregorius, & reuerenter pensanda, dicens, causam eorum subiungit: vt videlicet, quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur: quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat. Eadem perpendit & Rupertus, quia cum dixisset in cæteris  
fiat



fiat hoc, aut illud, producat terra, & producant aquæ; in homine creando mutavit vocem suam, tanquam à circuitu terræ, cæli, & maris lassabundus resederit, & inter respirandum in mentem illi venerit adhuc vnum deesse, quod deceret, vel oporteret fieri. Hæc Rupertus humano more de Deo locutus eleganter posuit. Ceterum quod diximus in his verbis. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me, multa contineri, quæ diligentius introspectanti appareant, in lucem iam producenda sunt.

Diximus enim apparere primò magnam hominis dignitatem, quod ex ijs, quæ ex sanctis Patribus retulimus, liquidò manifestum fit: cum videatur etiam secundum inferiorem partem, id est, limum terræ, cum consilio, & deliberatione formatus: nec Angelorum ministerio, sed Dei manibus plasmatus. Quo inter ceteras creaturas omnes visibiles quid dici, aut excogitari præstantius possit?

Apparet deinde animi gratitudo. Quorsum enim id commemorat Propheta, nisi vestram trutinans dignitatem, humiliter gratias agat, seque, ut iumentum, ad omnia factoris sui iussa exhibeat paratissimū? Quo argumento Mater Machabæorum cū de filiorum martyrio ageretur, efficacissimè vta est: eam repleta sapientiâ, atque femineæ cogitationi, ut scriptura loquitur,

Tur,

Gratitudo ex beneficio creatio-



*2. Mac. 7.* tur, masculinum animum inferens, sic eos est alloquuta. Nescio qualiter in utero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum, & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formavit hominis natiuitatem &c. Ac si diceret. Iustè quidem pro eo, & membra omnia, & vitam profunditis, à quo clementer acceptistis; vt illi hoc mystico sacrificio reddantur, quæ ab illius largitate profluxerunt.

**Et Laus  
Dei.**

Hinc tertio erumpit vox confessionis, & laudis. Nam hæc ideò commemorat vt factorem laudet. Neque enim id beneficii, honoris, & gloriæ absque hymno laudis, rememorare anima potest. Quare & Spōsa in Canticis ad cauernas inuitatur, quasi ad secretiores quosdam animi recessus, ex quibus cauernis resonet illi perpetuò, quod ait S. Bernardus, gratiarum actio, & vox laudis.

*Cant. 2.  
Ser. 62.*

**Et ratio  
postulan-  
di,**

Deinde hæc ipsa vox. Manus tuæ fecerunt me, rationem petendi, quam allegare possimus, efficacissimam continet. Quid enim apud tam benignum conditorum non postuletur, qui antequam essemus, dedit & vnde petere possemus; cum & esse, & spiritum, & vocem dederit? Puta ergo Psalterem ita dicere. Domine hæc est mihi vnica ratio petendi, quia tuus sum, & abs te sum: nec ab alio intellectum petere, aut possum, aut debeo, quam abs te, qui



qui dedisti ne nihil essem; sed vt mente,  
atque animo te agnoscere, te interpellare  
valeam.

Apparet quintò fiducia impetrandi. Qui *Et fiducia*  
enim dedisti, vt essem; & proprijs manibus *impetrā-*  
plasmasti, plasmatum non deseres. Super *di.*  
omnia enim opera tua radios bonitatis  
emittis: qui ideò creasti, vt essent, quibus  
tua dona cumulatissimè largiri possis. *Iac. 1.*  
Ergo postulo in fide nihil hæsitans, ne si-  
milis sim fluctui maris, qui à vento mo-  
uetur, & circumfertur.

Postremò petitio illa est. Da mihi, in-  
tellectum, vt discam mandata tua. Hoc *Et quid*  
enim à te Deo meo & optandum, & pe- *petendū.*  
tendum est. Nam quid aliud petam? An  
quæ iniqui, & magnificiunt, & petere  
solent? Sed hi meras fabulationes narrant  
mihi; non vt lex tua Domine. Id peto,  
quod me tibi obsequentem, gratum, ac  
deuotum faciat: quod puritatem cordis  
tribuens ad te videndum aptum reddat;  
quod casto amore tuo inflāmans tibi ro-  
tum vniat, atque in te totum transformet.  
Hic est enim finis, propter quem conditus  
benignè abs te, & plasmatus honorificen-  
tissimè fui. Nunc ergo, quoniam non so-  
lam in vëtre matris totus in circuitu plas-  
matus sum, & formatus, sed etiam quoti-  
diana manus tuæ formatione, & reforma-  
tione reparādus sum, id ardentè efflagito, *Pf. 138.*  
vt deiformer, sicut in psalmo scriptum est,



id est, non obscuritate veteris Adæ, sed in luce tua ô sol Iustitiæ, in cuius pennis, & sanitas, & reformatio, & vita est.

74 Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua super speravi.

**Iustus no-**  
**bile spe-**  
**ctaculum.**  
*Psal. 11.*  
*Psal. 91.*  
*Psal. 8.*

**Luc. 8.**

**Malac. 4.**

**1. Reg. 14.**

**Q**uid ni lætentur, cum videant mutationem dexteræ tuæ, pulchritudinem operis tui? Nam si de visibilibus scriptum est. Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et iterum. Videbo cælos tuos, & opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti: quid ni in hoc opere sanctiori, & sublimiori lætentur; non quidem omnes: sunt enim qui oculos non habent, unde videant, seu videntes nō vident. sed qui timent te? His & sol iustitiæ oritur iuxta Prophetam, & opera tua manifestantur, vt videntes glorificent te horum mirabilium effectorem. Vident enim me à peccato conuersum, mirabile opus: vident legi tuæ inhaerentem, membra possidentem, passionem frænantem, iustitiam, & caritatem impendentem ceteris, te toto corde anhelantem: quæ magna spectacula videntibus sunt, si adsit palatum fidei, cui sapiat mel tuum; quo Ionathæ oculi in prælio, ac lassitudine dulciter illuminantur.

Nam



Nam etsi impijs iustus, vt lux clarior  
 ægris oculis, ad videndum grauis est; pijs  
 tamen, & Deum timentibus nihil gratius;  
 per quem etiam conspectum ipsi iustitiæ  
 desiderio acius inflammantur: eoque in  
 alijs delectantur, quod volunt ipsi in se ser-  
 uare, si possint. Est enim insitum bonis,  
 inquit S. Ambrosius, vt castum pudicus,  
 prudentem sapiens affectu pio diligit, mi-  
 sericors liberalem: & virtutes suas in alijs  
 amet. Plerisque enim iusti aspectus admō-  
 nitio correctionis est, perfectioribus verò  
 læticia est. Quam pulchrum ergo si videar-  
 is, & prosis? Et subdit S. Pater exemplum  
 quoddam naturale, quod etsi non ita cer-  
 tum esset, rem tamen pulcherrimè expli-  
 cat. Fertur enim, inquit, esse quoddam  
 animal, vile quidem, & irrationabile, vt  
 visum profit Hæsticis; ita vt mortui quo-  
 que cornu eius animantis prodesse dicatur,  
 si fuerit demonstratum ijs, qui in huius-  
 modi inciderint passionem. Et dubitare  
 possumus, quod Iusti sanet aspectus? Et ad-  
 dit exempla ex contrarijs, quæ solo visu  
 nocere dicuntur.

Sic ergo prodest visio Iusti, vt simul & *Et iucun-  
 dum.*  
 oblectet. Sunt enim Sancti velut lumina-  
 ria in mundo verbum Dei continentes. Et  
 auget gaudiū, quod in illis magnalia Dei  
 intueamur, & victoriam eius, qui pectora  
 expugnat: & vasa rapit eo gloriosius, quo  
 & ipsi tenentur arctius nomine nobilitatis,



*Conf.* 1. 8.  
8. 2.

& plures tenent nomine autoritatis. Certè D. Augustinus de Victorino, cum Christianus fieret, nomen daret, & professionem profiteretur in conspectu sanctæ multitudinis, maximam eum in omnibus lætitiâ excitasse refert. Et sonuit, inquit, presso sonitu per ora cunctorum collætantium, Victorinus, Victorinus. Citò sonuerunt exultatione, quia videbant eum, & citò siluerunt intentione, vt audirèt eum. Pronuntiauit ille fidem veracem, præclara fiducia. Et volebāt eum omnes rapere intrò in cor suum, & rapiebant amando, & gaudento. Hæ rapiendum manus erant. Latari autem iustos Propheta in sui ipsius aspectu dicit, quia in verba Domini desperavit. Videbant enim non frustratum spe sua, quia omnis, qui sperat in eo, non confundetur. Videre autem sperantes in Domino non fuisse fraudatos, & lætitiæ seges, & sanctæ fiduciæ seminarium est: vt sibi idem sperantibus idem confidant tribuendum. Quod enim præcedentis est præmium, subsequens est pignus.

*Psal.* 24.

75 Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.

**F**lagellis eruditus, ac lumine tuo in humilitate collustratus cognoui, quia iudicia



dicia tua, quibus me affligere, & atterere  
 voluisti, æquissima, imò ipsa æquitas sunt.  
 Et, quod me humiliasti, rectissima verita-  
 te fecisti. Hoc est Sanctorum proprium, vt  
 Dei iustitiam, & bonitatem in flagellis  
 agnoscant, eum laudent, atque defendant.  
 Sic enim B. Diadocus in decessione gratiæ  
 à Deo facta, ad eum accedendum esse do-  
 cet, gratias agentes cum defensione. Et  
 fortè ad illud Apostoli alludit, qui inter  
 poenitentię fructus apologiam enumerat,  
 quasi Deum defendamus: eumque quando  
 nos atterit, iustissimè, atque ad utilita-  
 tem nostram fecisse profiteamur. Ne si-  
 mus (vt inquit S. Augustinus) sicut insul-  
 sus puer in domo plus diligens Patrem, cū  
 blanditur, quam cum flagellat: quasi (in-  
 quit) non & blandiens, & flagellans heredi-  
 tatem paret. Quæ confessio Deo gratissi-  
 ma est. Quin etiam (quod magis miran-  
 dum est) suos Deus seuerius tractare vide-  
 tur, quam peccatores. Quod Ser. 5. de Pœ-  
 nitentia egregiè tractat, & ostendit S.  
 Chrysostomus. Nam peccatores, vt attol-  
 lat animo; & spe ad poenitentiam, & vitæ  
 emendationem prouocet, blandis promif-  
 sionibus, & dulci indulgentiæ securitate  
 allicit. Iustos verò, vt cautiores reddat, &  
 in bono confirmet, nunc terret, nunc atte-  
 rit. Et, cum debitori poscenti. Patien-  
 tiam habe in me: debitum omne dimise-  
 rit, atque confessionem clemētissimè de-

Sanctorū  
 est in fla-  
 gellis Dei  
 bonitatē  
 agnosce-  
 re.

c. 87.  
 2. Cor. 7.

Hoc loco.

Et suos  
 Deus se-  
 uerè tra-  
 ctat.

Matt. 18.





*Luc. 19.*

biti solutionem fecerit, & decem millium talentorum summam dimiserit; à Iusto tamen, quo nihil illi acceptius, vsuram exigit, dum ait. Et veniens cum vsura recepissim. Quod videlicet, & peccatorem soletur, vt eleuet; & iustum terreat, vt statuat, & confirmet. Quasi pauperum enim peccatorum miseretur: & quasi à diuitibus vsuras à Iustis expetit: illis quidem propter inopiam donans, ab his verò accuratius rationem diuitiarum pietatis

*Virtus in  
aduersis  
apparet.*

exigens: quia reuera nihil peccante pauperius, nihil ditius Iusto. Hæc ex S. Chrysostomo. Accedit etiam quod timentes Dominum clarius Sanctorum virtutes in aduersis agnoscunt, quam in prosperis. Nam stella in nocte virtus in tribulatione.

*Ser. 27. in  
Cant.*

Quomodo enim (inquit S. Bernardus) stelle in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminent in aduersis. Addit S. Ambrosius,

*Ser. 20. in  
hunc Ps.*

Deum quos miseratur citò castigare, vt nõ diutius afficiantur futuri expectatione iudicij.

76 Fiat misericordia tua, vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo.

**Q**ui dixerat ita se compositum, vt, qui viderent eum, lætarentur, certè magna se Dei misericordia & præuentum, & ornatum



natum fuisse demonstrat. Nec exigua misericordia erat in flagellis cognoscere, & confiteri æquitatem diuinam. Cur ergo iam petit denuò misericordiam ad consolationem? Profectò magna suæ infirmitatis confessio, magnum diuinæ clementiæ testimonium hoc est. Puta ergo sic illum dicere. Cognoui Domine me iustissimè flagellatum, & in tua veritate, atque iustitia humiliatum: & inter has tribulationes, & humiliações gaudeo, & gaudebo. Placeo enim mihi in tribulationibus, in contumelijs, in angustijs: sed neque fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Nam etsi spiritus promptus est, sed caro infirma. Vnde igitur remedium, aut auxilium conquiram, nisi à misericordia tua, vt consoletur me? Nec deest, vnde id confidam: quia & promissum tuum teneo (hoc est enim secundum eloquium tuum) & ipse ita misericordia abundas, vt timendum non sit, ne illa, quamuis toties, tãque largiter mihi contuleris, aliquando tandè exhauriatur: cum & ipsa præueniat me, & ipsa subsequatur: imò tu ipse sis misericordia mea, quæ tam exhauriri non potest, quam ipse non potes deficere. Et audio dicentem te. Metuentes Dominum sustinete misericordiã eius, &c. & in oblectationem veniet, vobis misericordia. Et, quod me maxime solatur. Secundum, inquit, magnitudi-

Significatur infirmitas humana.

*Iob 6.*

*Matt. 26.*

Et clementia diuina.

*Psal. 58.*

*Eccl. 2. 18.*



*Eccl. 2.*

tudinem illius, sic misericordia illius cum ipso est. Denique nihil tam frequenter in Scripturis tuis misero mihi commendatur quam misericordia: nihil tam dulciter recordor, quā illius, quā effudisti super omnia opera tua. Propterea quā speranda fuerāt à bonitate tua beneficia, etiāsi nulla precessissent: nunc autem, ut ait S. Gregorius, de ea vel dubitare maximi periculi est, dum præteritis donis ad portum spei quasi immensis quibusdam funibus ligamur. Vide locum insignem.

*Eccl. 1.**Lib. 26.**Mor. c. 17.*

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, quia lex tua meditatio mea est.

Vita sine addito est æterna.

*Matt. 19.**Jo. 5.*

Vita etiā gratiæ vere vita.

Notat sanctus Augustinus, cum vita sine addito ponitur, æternam intelligi: quippè quæ sola verè vita est: in cuius cōparatione ista, quam dicimus, mors potius sit appellanda, quam vita. Et in Euangelio dicitur. Si vis ad vitam ingredi. Nec additur æterna. Et de resurrectione bonorum dicitur. Resurgent in resurrectionem vitæ, haud dubiè æternæ, quamuis non addatur. Sic igitur & David hoc loco. Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, inquit; neque ait in æternum viuam, vel beatè viuam, quasi aliud non sit viuere, quam sine villo fine, & sine vlla miseria viuere. Sed tamen etiam vita gratiæ, quæ spiritū

viu-



viuificat, qua Deus ipse vita nostra fit, vita  
 verè est, licet non sine labore, atque peri-  
 culo. Itaque vtramque, vtpote, cum & hæc  
 preparatio ad illam sit, instanter Propheta  
 petit. Petit autem fidenter, quia lex tua in-  
 quit, meditatio mea est. Debet autem hæc  
 meditatio, vt monet S. Augustinus esse in  
 fide, quæ per dilectionem operatur. Hoc,  
 inquit, dicendum putavi, ne quisquam cū  
 totam legem memoriæ mandauerit, totam  
 eamque creberrima recordatione canta-  
 uerit, non tacens, quod præcepit, nec tamē  
 viuens, vt præcepit, arbitretur se fecisse,  
 quod legit. Quia lex tua meditatio mea  
 est: & hinc adepturum existimet, quod ver-  
 bis superioribus propter hoc meritum po-  
 stulauit, vbi dictum est. Veniant super me  
 miserationes tuæ, & vitam. Hæc medita-  
 tio amantis est cogitatio, & tantum aman-  
 tis, vt caritas non frigescat huius medita-  
 tionis suæ, quantalibet constipetur abun-  
 dantia iniquitatis alienæ. Quamquam &  
 vox Hebræa hunc errorem, quem S. Augu-  
 stinus cauendum putat, dilucidè excludit.  
 Non enim quæcunque meditatio dicitur,  
 sed quæ pro delicijs habeatur. Nemo autē  
 verè potest delicias suas diuinam legem  
 computare sola notitia, aut memoria, nisi  
 dilectione, & magna dilectione in illa ex-  
 erceatur. Quomodo enim sint sine dile-  
 ctione deliciae, quæ sunt quædam ex dile-  
 ctione delectatio?

*S. Aug.  
 hoc loco.  
 Medita-  
 tio fit cū  
 opere.*



78 Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

*Job 41.*

**Confusio  
causa in-  
terdum  
emenda-  
tionis.**

**C**onfunduntur siue superbi homines, qui nos persequuntur, siue superbi spiritus, quorum caput, Rex super omnes filios superbiae à Scriptura vocatur, cum vident nos diuina protectione munitos à suis insidijs, & violentijs ereptos: & quamuis laboribus, & afflictionibus fatigatos in mandatis Dei diligentissime exerceri. Confunduntur enim, quod sua se videant spe frustratos, nec nos à Domino diuelli potuisse, quod maxime cupiebant. S. Ambrosius absurdum putans sanctum Dei hominem illis maledicere, qui in se iniqua gesserunt, confusionem hanc, quam precatur, non vindictam esse, sed doctrinam interpretatur, vt salutari, ac medicinali confusione corrigantur. Pudor enim plerumque, inquit, corrector est nostri. Et dum incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, deserere, quae erubescenda sunt, admonemur. Non ergo maledicit Propheta, sed quasi bonus medicus vult illos cognoscere, quae fecerint. Ceterum si haecenus optetur ijs, oreturque confusio; vt, dum abducere nos à Deo conantur, constantia nostra refutentur, exituque fru-

stren-



strentur, benedictio potius videtur, quam  
 maledictio. Expedi enim etiam impijs,  
 quæ impiè moliantur, non assequi. Sed  
 quouis modo accipiatur, certum est ver-  
 bis illis. Ego autem exercebor in man-  
 datis tuis, sancti viri constantiam quibus-  
 cunque tandem aduersitatibus feriat, et  
 immobilem egregiè denotari, tanquam  
 dicat. Quicquid tandem illis eueniat,  
 quicquid contra me struant, & fa-  
 ciant, ego certè exercebor in mandatis  
 tuis.

79 Conuertantur mihi timentes te; &  
 qui nouerunt testimonia tua.

Sive mihi, sive ad me dicatur, (vtrumque  
 enim verba Hebræa significare possunt)  
 idem est. Sed, quoniam conuerti hoc loco  
 tanquam ad exemplar, vel singularem  
 benefactorem accipiendum putat S. Au-  
 gustinus, negat id quemquam hominum  
 dicere posse, aut audere, sed solum Chri-  
 stum Dominum. Ipse est enim, ad quem *Sanctorum*  
 conuertuntur timentes Deum. Ceterum, *exemplo*  
 si facilius cum sancto Ambrosio intelli- *rum vis.*  
 gamus, vt ad Dei seruum, Prophetæque  
 doctrinam homines conuertantur, vt ex  
 eius vita emendent suam, non est cur ve-  
 reamur, quemlibet sanctum hominem id  
 dicere posse: cum insignes viri Dei corre-  
 ctione morum suorum, & sanctitate vitæ,



atque expressione diuinæ misericordiæ in  
 ipsis lucidissimè emicantis, errantes in  
 viam reducant, & ipso aspectu ad virtutes  
 incitent: vti supra notauimus. De qua  
 exemplorum sanctorum vi ad mores cor-  
 rigendos, atque ad diuinum amorem ar-

*Lib. 8. de* dentius inflāmandum, ipse S. Augustinus  
*Trin. c. 9.* sic pulcherrimè disputat. Quid est quæso  
*2. Cor. 6.* quod exardescimus, cum audiui-  
 mus, & legimus. Ecce nunc tempus acceptabile, ec-  
 ce nunc dies salutis, nullam in quoquam  
 dantes offensionem, vt non reprehendatur  
 ministerium nostrum, sed in omnibus cō-  
 mendantes nosmetipsos, sicut Dei mini-  
 stros in multa patientia, in tribulationi-  
 bus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis,  
 &c. Quid est, quod accendimur in dilectio-  
 nem Pauli, cum ista legimus, nisi quod  
 credimus eum ita vixisse? Viuendum ta-  
 men sic esse Dei ministris, non de aliqui-  
 bus auditum credimus, sed intus apud nos,  
 vel potius supra nos, in ipsa veritate con-  
 spicimus. Illum ergo, quem sic vixisse cre-  
 dimus, ex hoc quod videmus, diligimus: &  
 nisi hanc formam, quam semper stabilem,  
 atque incommutabilem cernimus, præci-  
 pue diligeremus, non ideo illum diligere-  
 mus, quia eius vitā, cum in carne viueret,  
 huic formæ coaptatā, & cōgruentē fuisse  
 fide retinemus. Sed nescio quomodo am-  
 plius, & in ipsius formæ caritatem exci-  
 tamur per fidem, qua credimus vixisse  
 sic



IN PSAL. CXVIII. 447

sic aliquem, & spem, qua nos quoque ita  
 posse viuere, qui homines sumus, ex eo,  
 quod aliqui homines ita vixerunt, mini-  
 mē desperamus; vt hoc & desideremus  
 ardentius, & fidentius precemur. Ita &  
 ipsorum vitam facit à nobis diligere formæ  
 illius dilectio, secundum quam vixisse  
 creduntur: & illorum vita credita in ean-  
 dem formam flagrantem excitat caritatem,  
 vt quanto flagrantius diligimus Deum,  
 tanto certius, sereniusque videamus: quia  
 in Deo conspiciamus incommutabilem  
 formam iustitiæ, secundum quam homi-  
 nem viuere oportere iudicamus. Hæc S.  
 Augustinus. Quæ, vt compendio dicamus,  
 id docent. In mentibus nostris inesse for-  
 mam quandam iustitiæ, ac sanctitatis pul-  
 cherrimam, quam maximē diligamus: &  
 inde fieri, vt etiam eos amemus, in quibus  
 formæ illius imago elucet. Hinc autem  
 vicissim fieri, vt ipsam formam, id est, san-  
 ctitatem vehementius amemus, quia &  
 communicatam alijs iam cognouimus, &  
 nos quoque posse eam consequi confidi-  
 mus, dum homines similes nobis passibi-  
 les, carne, & infirmitate circumdatos con-  
 secutos esse non dubitamus. Vnde ad  
 spem, & ad desiderandum ardentius, ad pe-  
 tendum fidentius, ad imitandum inten-  
 tius accendamus. Merito ergo & cupit,  
 & orat Propheta, vt conuertantur ad se-  
 timentes Dominum, & qui mandatorum  
 illius.



illius sanctitatem, & efficacitatem noverunt. Sed fortasse simplicior ille sensus non alienus sit, ut Propheta velit timentes Deum ad se conuerti, id est, adiungi ad suam amicitiam, ad suam consuetudinem, ad suas partes. Nam, ut iniquos semper repellit ( Vide psalmum centesimum. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, &c. ) ita iustos aduocat. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

**So** Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

**H**ic præcipuus est fructus siue studiose meditationis, siue nunquam interruptæ exercitationis, seu perpetuarum deliciarum mandatorum Dei, ut scilicet fiat cor nostrum immaculatum. Qua de re S. Basilius in Regulis fusius disputatis id verissimè docet, illud agendum assidue, ut ex perpetua, ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo notionem, veluti indelebile quoddam signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri caritas consuevit: quæ simul cum ad conficienda ipsa Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque ab iisdem ipsa ad perpetuitatem

*S. Basil. c.*  
5.  
Exmemo-  
ria Dei  
perpetua  
cordis pu-  
ritas.

stabi-



IN PSAL. CXVIII. 449

stabilis conseruetur. Quod ita esse docet Dominus ipse, qui quidē modo dicit. Si diligitis me, mandata mea seruate: modo verò. Si praecepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea. Vides ergo & caritatem esse principium, & virtutem ad Dei praecepta seruanda, & vicissim obedientiam mandatorum ipsam caritatem, & dilectionem Dei augere, atque statuere. Sed haec omnia à cordis custodia, & puritate exordienda sunt. Scriptum quippe est. Omni custodia custodi cor tuum. Neque patiendum (addit Basilius) vt assidue de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur; neque eorum, quae mirabiliter ab eo facta sunt, memoria contaminetur per frivolas, ac vanas cogitationes: sed potius contra, illud agendum assidue, quod modo dicebamus, vt ex perpetua, ac purissima recordatione impressam in animis nostris, piam de Deo cogitationem velut indelebile aliquod signum circumferamus. Quod de perpetua Dei memoria ad purgandum cor docet Basilius, id ipsum tradit S. Dionysius nominatim ad inane gloriā expurgandam, de assiduo quasi contuitu, per quem diuinæ virtutis incorruptum, ac præclare expressum sigillum præstanti imitatione formetur in anima: & affert aptissimam similitudinem Pictoris, qui si fixa acie, collectisque in vnum viribus in exemplum intendat, quam simi-

Io. 14.

15.

Prov. 4.

De Eccl.

Hier. c. 4.

par. 3.

milli-



*Col. 1.*

millimam imaginem exprimet: Videlocum. Cassianus de custodia, & puritate cordis non semel differit: & scopum religiosi hominis cordis puritatem esse statuit, sicut finem vitam æternam.

*De pœnit. hom. 8.*

Sanctus verò Chrysoströmus explicans illud. Iam mœchatus est in corde suo. Corde, inquit, corrupto, quæ deinceps vilitas in reliquo corpore: Quæ admodum enim in plantis, & lignis si quando cor exesum videmus, reliquam de cetero repudiamus partem; sic & in homine cum id perierit, in cassum est inde reliqui corporis sanitas. Auriga perit, fractus, deiectus est: frustra in posterum equi currunt. Nimirum auriga cor est: in ipso vita sita est. Ei, ut ait idem Sanctus, præcipuè credita est animi fortitudo; quæ corde integro expugnari nequit. Meritò itaque, Ine diutius in re aded à Scripturis, & sanctis Patribus decantata immoremur, cordis immaculatam puritatem Propheta super omnia à Deo perit.

*Hom. in Iul.*

Quam facile cor maculetur.

*Jerem. 9.*

Secundò, id instanter orat, quia facile pro loco exilij huius, & sui qualitate maculas contrahit. Quid enim sordium, si non mors, per fenestras sensuum toties ingrediatur, experitur omnis, qui suam conscientiam non perfunctoriè excutit. Quid ex cogitationibus? Quid ex desideriis? Quid ex mundi huius pulvere? Quid ex atramento? Quid ex spinis, quibus mens pun-



IN PSAL. CXVIII. 4<sup>a</sup>

pungitur, & suffocatur? Bone Deus, & benignissime inspector, qui nosti figmentum nostrum; & recordaris quia pulvis sumus, abluere cor nostrum imbri lacrymarum: & tegimento protectionis tue à tot inquinamentis præferua misericorditer, tuere clementer. Ideò enim & tam multa præsidia ad cordis abluionem, & puritatem nobis contulisti: vt & verba tua, & orationes, & examina, & tunsio pectoris, & tui nominis inuocatio, & sanctæ Crucis signaculum, & super omnia, viuifica sacramenta ad cordis nostri custodiam, ac puritatem proficerent.

Gen. 3.

Remedia cordi purgando.

Tertiò cum tam procliuè sit, vt cor maculas cõtrahat, id exitiosissimum est, quod ipso commaculato nihil puri, aut immaculati, sanive remaneat in nobis: vt, qui cordis munditiam, & custodiam negligit, nihil se purum, aut sanctum habere, nisi se ducat se, possit vllatenus gloriari. Ex quo patet quam meritò oret quilibet spiritualis. Fiat cor meum immaculatum.

Cordè maculato nihil restat purum.

Quartò, qui lex illa, quam misericorditer polliceris, Deus noster, te in visceribus nostris clementissimè daturum, & cordibus superscripturum: per quam in dilectione tua voluntati tuæ in omnibus obsequentes simus, in corde maculato, atrisque coloribus infuscato describi non potest: sed necesse est veluti in munda, læuique, atque explicata charta, maculæ, ac rugæ

Lex Dei non scribitur nisi in corde puro.

Jerem. 31.

om-



omnis experte, tuo solo digito, non a-  
tramento inscribatur: vt simus epistola  
tua, quæ per Spiritum sanctum cordi in-  
sculpta sit.

**Cor tem-** Postremò, quia etiam in nobis habitare  
**plum Dei,** dignaris, vt pollicitus es, & cor nostrum  
**ergo sit** templum tuum efficis, satis apparet, quan-  
**purum.** ta puritate nitere debeat, quod templum  
tibi tua vnctione sacraſti. Si enim scri-

**Exod. 30.** ptum est, vel pedem esse custodiendum, quo  
in materiale templum tuum ingredimur,

**Exod. 3.** ne quid contaminatum, aut immundum  
in illud ingrediatur. Et, si Moyſes calcea-

menta deponere iubetur, id est, inuolucra  
carnalium cogitationum; quanta tandem

**2. Cor. 6.** puritate nitere debet spirituale templum  
tuum, de quo Apostolus tuus. Vos enim

estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus:

quoniam inhabitabo in illis, & inambu-

labo inter eos: & ero illorum Deus, & ipsi

erunt mihi populus. Præſtet hoc miseri-

cordia tua optantibus, poscentibus, & ef-

flagrantibus, vt præstitisti famulæ tuæ

Cæciliæ, quæ perpetuò modulantibus or-

ganis decantabat. Fiat cor meum, & cor-

pus meum immaculatum. A te enim pe-

titur, in te quæritur, apud te pulsatur: qui

dimittis, quæ conscientia metuit, & adij-

cis, quod oratio non præsumit: qui es su-

per omnia Deus benedictus in secula.

Amen.

¶ Caph,



☞ Caph, id est, Manus.

*Octonarius Undecimus.*

- 81 **D**efecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperavi.
- 82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?
- 83 Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.
- 84 Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me iudicium?
- 85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.
- 86 Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adiuua me.
- 87 Paulo minus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.
- 88 Secundum misericordiam tuam uiuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

81 De-



81 Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum super-  
speraui.

**M**erito defectus ex desiderio, oculorum expectatio, constantia in tribulationibus, expectatio consolationis, abiectio inanium fabularum, & delectationum seculi, quæ meræ nugacitates sunt, & quæ sequuntur omnia à Caph incipiunt, quæ significat volam, vel manum. Quippe hæc omnia in nobis non à nobis sunt, sed à manu Altissimi: de qua dicitur. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Defecit autem anima non à salutare, sed in salutare; quia præ desiderio, & amore, & expectatione deficit à seipsa anima, & fit spiritus. Est enim deficere, in id vnum quemque totis studiis migrare, quod diligit. Et Sanctus quisque nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis contendit viribus, illum gremio mentis fouet: illi se aperit, & effundit: & hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Sed ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Felix defectio vel desiderij, vel spei, quæ salutem à Christo Domino, vel ipsum expectat Saluatorem. Deficiant alij, si volunt,

Deficere  
in aliqd  
est in id  
migrare.

*Psal. 39.*



IN PSAL. CXVIII. 455

lunt, respicientes in vanitates, & infan-  
nias falsas: qui verè deficiunt, quia defi-  
cientibus inhærentes à seipsis deficiunt.  
At ego, & anima mea salutare, ac viuifico  
defectu in salutare tuum deficiamus, quo ad  
eius similitudinem, & immutabilem sta-  
bilitatem proficimus. Quod non teme-  
rè audeo, quia in Verbum tuum superspe-  
raui, vel in ipsum Verbum, quod carne  
vestiendum salutare expecto; vel in ipsam  
salutis promissionem: quia verbum tuum  
fidele est, nec perire potest, quia tu  
Deus es.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium  
tuum, dicentes: Quando conso-  
laberis me?

**D**ESCRIBITVR fidelis, & perseue-  
rans expectatio opis, & consolationis  
Diuinæ in afflictione. Oculi corporis  
solent semper intenti esse, eo spectare,  
unde suum bonum expectant. Idè oculi  
seruorum in manibus dominorum suo-  
rum, oculi ancillæ in manibus dominae  
suae. Neque aliter oculi animæ. Pro-  
pterea defecerunt, inquit, oculi mei, uti-  
que mentis meæ, præ desiderio, & expe-  
ctatione consolationis tuæ; intenti, ac de-  
fixi in eloquium tuum, velut in syngra-  
pham, & pignus promissionis tuæ. Desi-  
derium eorum, & Actus, clamor est eo-  
rum:

Oculis  
defectus  
tribuitur.  
Primo ex  
naturali  
effectu.  
Psal. 122.



**Secundò,** rum: ideò ipsi dicunt. Quando consolaberis me? Ne immeritò expectationem, & postulationem salutis, & consolationis

**quia fidē** & postulationem salutis, & consolationis oculis tribuo, quia ipsi sunt, qui acutè inspiciunt te. Languidè enim, & frustra, nec perseveranter desiderarem, & expectarem, nisi oculi fidei, & intellectus te aspicerent omnia videntem, omnia regentem, omnia

**2. Cor. 1.**

potentem, Deum misericordiarum, & nō vnius, sed totius consolationis. Ad quem enim confugerem, nisi talem te tales oculi contemplerentur? Hi nimirum oculi clamant. Quando consolaberis me? Quādiu expectare facies oculos pauperis? Vox radiosæ expectationis, & longissimæ

**Consolatio à solo**

**Deo.**

dilationis, vox ista, Quando? est. Meritò deficiunt dicentes, Quando? Frustra verò ad alium confugerem pro consolatione, quia quæcunque creata sunt, nec volunt, nec possunt me consolari. Tu autem consolaris me non solum à malis eruyendo, à persecutoribus præservando, sed etiam auxilium pollicendo; suaviter alloquendo: quia eloquium tuum dulce, æterna promittendo. Denique tua illa vox est. Sicut mater consolatur filios suos, sic & ego consolabor vos. Et verbum tuum, verbum solatij vocatur: & ab vberibus consolationis per Prophetam inuitas, vestigamus.

**Isai. 66.**



83 Quia factus sum sicut vter in  
pruina: iustificatione tuas non  
sum oblitus.

**S**unt qui pellem frigore, & gelicidio, ut **V**ter, vel  
legit S. Ambrosius, constrictam, & cor- **pellis ge-**  
rugatam intelligant: aut fumo, quem & **nericè.**  
vox hebræa significare potest, exsiccatam,  
& affectam, iuxta quod alibi dicitur, Pellis **Thren. 5.**  
nostra, quasi clibanus, exusta Et in Iob. Cu- **Iob. 7.**  
tis mea aruit, & contracta est. Et verè vo-  
cabulis istis, hominem omnino afflictum,  
& quasi ad extrema redactum adombra-  
mus. Sed non arbitror siue causa de vire  
potius, quam de quacunque pelle factum **Vel pro-**  
esse sermonem: quia pellis interdum lana **prie vter**  
munita, interdum arte perpolita, & condi- **significat**  
ta, frigoris iniuriam nõ sic patitur, quem- **afflictio-**  
admodum vter, utique inanis, & omni  
presidio destitutus. Nec vacat etiam, quod  
vox hebræa inde fortè deducitur, quod vter  
vltro, citroque perpetuo vegetur, & quasi **Gen. 4.**  
profugus nusquam cõsistat. Vnde & Cain  
profugus in Noe habitasse describitur. Sic  
ergo conqueritur. Factus sum sicut non  
pellis quælibet, sed vter in pruina, quem  
susque deque ferunt, proijciunt: iniurijs  
imbrium, pruinae, niuis & ardoris expo-  
nunt. Nec persecutorum tantum externo-  
rum vexationibus agitor, & ad miseras  
hasce detrudor; sed ipsemet factus sum  
sicut



sicut vter, quia concupiscentijs, veluti gelu, & pruina constringor, caritate interim languente. Sed inter hæc ipsa mala, iustificationes tuas non sum oblitus. Lex enim tua inter hæc me seruat, quam perpetuo in mente habeo. Pellicea tunica succinctus fuit Pater meus Adam, corpus mortis gestans morticino indutus: hanc ego & in pœnam gesto: sed scio quis tunicam pelliceam nostram participauerit, & induerit; vt me corpore mortis exutum, immortalitate vestiret, & gloria. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificatus sum.

*Gen. 3.*

*Ft mortificationē.*

Sed & in bonum accipit Ambrosius, vt, quoniam vter ex animantis mortui exuijs fit, significetur corpus peccato mortuum, quod ab æstu cupiditatum continentiae, & ieiuniorum quodam gelu tēperetur, & matutina oratione perfletur, quando sicut ros, ita super terram nostram

*Deut. 32.*

*Ambros.*

Dei verba descendunt. Bonum est igitur mihi Domine fieri sicut talem vterem in pruina, vt omnis in me mortificationis rigore purgatus, & liquore iustificationū tuarum perfusus internæ cupiditatis feruor refrigescat: quo fiam non rimosus & effluens, sed nec vacuus vter, sed plenus Spiritu, plenus iustificationum tuarum: ac denique plenus lactis, oleique & vini noui liquoribus, tibi plenus & utilis fiam.



34 Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium.

**M**OLESTA est lucta, molesti dies pugnae. Quamdiu enim est pugna, est in incerto victoria: & cū spe palmæ coniuncta formido cladis. Sed, si feceris de persequentibus me iudicium, vt mihi illos subdas, timor in lætitiā te adiuuante vertetur. Atqui dictū est ab Apostolo tuo. *Rom. 16.* Conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Si ergo non contero aduersarium, mea culpa est. Nam si bonis inhæreamus operibus, vt exerceamus studia castitatis, iustitiæ, continentia, calcamus serpentem, & scorpionem. Proinde possum & in hac breui vita triumphum de aduersarijs habere perpetuum, te faciente iudicium, quod expecto.

Dies primo pro vita.

*Rom. 16.*

*Ambros.*

Secundò pro adueritate. *Psal. 136.*

*Thren. 2.*

Tertio pro prosperitate. *Thren. 5.*

*Psal 72.*

Sed quoniā dies interdum in malo ponuntur, vt dies Hierusalem, de quibus dicitur. Memor esto Domine filiorū Edom in die Hierusalem, id est, in die afflictionis illius, & persecutionis. Quot sunt dies, in terrogo, id est, quousque patieris me sine consolatione, aut redemptione tua affligi? vt dicant hostes, Ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus. Rursus, pro quia ponuntur interdū in bono: vt. Inno-ua dies nostros. Et. In hac die tua. Et, dies pleni inueniētur in eis. & huiusmodi multa. Pu-



Tribulationum  
bona.

ta. Puto etiam dies malos mihi esse bonos: & persecutionum, ac pugnae dies non vacuos, sed plenos esse. Siquidem ex afflictionibus, & tentationibus thesauros mihi prouenire facis incomparabiles. Inde enim patientia, inde longanimitas, inde feruor orationis faciem tuam exquirens, inde spes, inde gratiarum actiones ex liberatione, inde humilitatis lucra, inde mundi contemptus, inde caelestium appetitio. Unde & dies Meos, id est, lucri, & consolationis, ipsos etiam dies tribulationis appello, modo facias de persequentibus me iudicium, hostes debellans, & mihi subdens, me illa sum a passionibus, & concupiscentijs feruans.

85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non, ut lex tua.

Legis diuinae praestantia.  
Psalm. 18.

Iniqui, siue peruersi homines, siue demones, siue innatae concupiscentiae, quae phantasmata in mente depingunt, fabulationes narrant. Alij delectationes legunt, ut intelligamus omnes huiusmodi delectationes fabulas esse. Hebraice, nugas, confabulationes, superfluas naenias, graece ἀδολεσχίας, id est, garrulitates. Quicquid enim a placitis tuis deuiat, tale est, Sed non, ut lex tua, quae siue praecipiat, siue prohibeat, siue narret, immaculata est, conuertens animas, & sapientiam praestans paruulis.



tulis. Minatur? quasi vinculis malè libera  
 coercet. Promittit? blandissimè allicit. Do- *Virg. 50*  
 cet? Salis placidi vultum, fluctusque quie- *Æn.*  
 tos ignorare, vt ille ait, non permittit.  
 Hæc me ad amorem tuum validè sauciat,  
 ad timorem castum impellit: illuminat,  
 lucerna pedibus: ad portum spei immensis  
 funibus alligat: in medijs fluctibus anco-  
 ris validissimè firmat: me ipsum mihi tan-  
 quam mundissimum speculum repræsen-  
 tat: quæ futura sunt, quasi velata, sine velo  
 manifestat: lucidissimas in æternitate mæ-  
 fiones mirè depingit: faciem tuam in co-  
 ruscatione contemplationis offert: Ange-  
 lorum choris interdum inserit: laudes, &  
 hymnos supercœlestes occinit, & innume-  
 ra præstat: quæ de promptuarijs legis tuæ,  
 & Scripturarum tuarum expromuntur.  
 Comparem ego Pater bone, Pater super-  
 fluais legem tuam, cum hominum dictis,  
 & placitis, & videam an non meritò illa  
 omnia nœnias & fabulationes appella-  
 rim?

86 Omnia mandata tua veritas: iniquè  
 persequuti sunt me, adiuna me.

QVemadmodum hominum, & inimi-  
 corum dicta, fabulationes, & vanitas  
 erant, ita cōtra expertus sum omnia man-  
 data tua veritatem. Veritas enim, non va- *psalm. 4*  
 nitas liberat Sed quousque filij hominum

V 3 graues



graues corde? vt quid diligitis vanitatem,  
& quæritis mendacium? Ecce omnia man-  
data tua veritas. Illa igitur quærenda, illa  
scrutanda sunt, illis est inhærendum. Id si  
fiat, etiamsi iniquè persequantur me, erit  
mihi persecutio coronarum textura, non  
ruinarum occasio, dum tu tamen adiuues  
me. Nec adiuuari postulo, vt à malis eri-  
piar, sed ne in illis succumbā. Scio fructū  
eorum, qui persecutionē patiuntur, si pie  
viuere volunt. Scio hic tunctionibus, &  
pressuris lapides expoliri, qui in superno  
illo templo collocandi sunt, vbi malleus,  
& omne ferramentum non audientur.  
Hic contra insidiantes certandum: hic vi-  
gilandum contra hostes, dum impetimur.  
Remissas excubias callidus insidiator ir-  
rumpit: assuetum autem bello virum  
externa fraus instruit, & gloriosa proue-  
hit palma victoriæ.

¶ Paulò minus consummauerunt me  
in terra: ego autem non dereli-  
qui mandata tua.

**P**ARVUM absuit, quin me perderent, &  
extirparent è terra, vt necessario auxi-  
lium tuum implorarim. Satis enim indi-  
cat, quanto indigeam adiutorio locus ipse  
certaminis, terra, inquam, vbi plurimi etiā  
sanctissimi viri ceciderunt. In qua & tam  
multi

Tribula-  
tionum  
bona.

2. Tim. 3.

10. 16.

3. Reg. 6.

Terra lo-  
cus pu-  
gna.



multi sunt hostes visibiles, inuisibiles, ex-  
 terni, interni, vt perpetuo clamare cogar, multitu-  
 do & vis, Deus in adiutorium meum intende: Do-  
 mine ad adiuuandū me festina. Visibiles *Psal. 09.*  
 angunt, & persequuntur; inuisibiles sine  
 intermissione premūt: externi ingruunt,  
 interni sine cessatione configunt, eo peri-  
 culosius, quo interius, & occultius: eo im-  
 portunius, quo peruicacius. Vtinam disca-  
 mus cauere, quem gerimus. Hic nobis ho-  
 stis domesticus, hic inimicus grauis est, no-  
 strum ipsum corpus: vt merito mihi cla-  
 mandum ad te sit, vt eripias me ab his, qui  
 appropinquant mihi. *Psal. 54.*

*Ambros.*

Inter has tamen luctas, & periculosa cer-  
 tamina nunquam dereliqui mandata tua, *In pugna  
 lex medi-  
 tanda.*  
 tum, quia hęc meditatio mihi custodia est:  
 tum, quia nullis laboribus, aut periculis à  
 lege tua deflexi, sed constantissimè man-  
 data tua seruauit: tum denique, quia in tot  
 angoribus cōstituto nullum est maius so-  
 latium, quam legem tuam meditari: quæ  
 & in humilitate mea consolatur me; & in  
 necessitatibus subuenit, & ab aduersarijs  
 custodit; & animam refouet, ac delectat.

88 Secundū misericordiam tuam vi-  
 uifica me: & custodiam testimo-  
 nia oris tui.

**V**iuificatio quædam est à periculis ma-  
 ximis, & imminente morte liberari: *Viuitica-  
 re quid.*  
 quod si feceris, per vniuersum vitæ meæ.

V +

*cuks*



cursum custodiam testimonia tua. Sed ac  
aut aeterna morte premar, aut hic peccati  
morte obdormiam, continua mihi viuifi-  
catio necessaria est; & ideo misericordia,  
qua viuificer. Ut continua, ac perpetua sit  
in hoc corpore viuificatio, quo quotidie  
iustus tibi viuam, peccato moriar. Certè  
tu viuificasti semper Sanctos tuos, cùm in  
vita gratiæ seruasti, & à prolapsione bono-  
rum, perpetua quasi redemptione custodi-  
stis; vitam & misericordiam tribuens illis,  
& visitatione tua custodiens spiritum eo-  
rum! Imo & ipsi Martyres, qui moriendo  
glorificauerunt te, testimonia tua custodi-  
endo, in ipsa morte viuificati sunt: ne a-  
mando vitam negarent vitam; & negando  
vitam amitterent vitam; ac sic, qui pro vita  
veritatem deserere noluerunt, moriendo  
pro veritate vixerunt. Testimonia autem  
dixi oris tui, siue quia per os Prophetarum  
tuorum ipse loquebaris: siue quia magnam  
ingerit deuotionem, & reuerentiam scire,  
quia ipse Dominus, ipse Sapiencia eam mã-  
data protulisti: siue (quod dulcissimè sapit)  
quia ipse filius Iesus, os æterni Patris eam  
legem, quæ perfectionem resonet, proprio  
ore docturus esset: cum ipse, qui multifariè,  
multisque modis olim Patribus locutus e-  
ras, tandem in filio, qui in sinu Pa-  
tris semper est, locutus es,  
& celestia nar-  
rasti.

*Job 10.*

*Aug hic.*

Oris tui,  
sur dica-  
tur.

↳ Lamed,



¶ Lamed, id est, Disciplina.

*Octonarius Duodecimus.*

- 89 **I**N æternum, Domine, verbum  
tuum permanet in cælo.
- 90 In generationem & generatio-  
nem veritas tua: fundasti ter-  
ram, & permanet.
- 91 Ordinatione tua perseverat dies:  
quoniam omnia seruiunt tibi.
- 92 Nisi quod lex tua meditatio mea  
est: tunc fortè perijssem in hu-  
militate tua.
- 93 In æternum non obliuiscar iusti-  
ficationes tuas: quia in ipsis vi-  
uificasti me.
- 94 Tuus sum ego, saluum me fac:  
quoniam iustificationes tuas  
exquisiui.
- 95 Me expectauerunt peccatores vt  
perderent me: testimonia tua  
intellexi.
- 96 Omnis consummationis vidi fi-  
nem: latum mandatum tuum  
nimis.



89. In æternum Domine, verbum tuum  
permanet in cœlo.

**S**V S P E X I, & legi librum potentie, &  
sapientie tuæ: audiui concentus musica  
compositionis tuæ: Vidi cœlum, & ter-  
ram, & dierum ac noctium dispositionem.  
Quid pulchrius, quid iucundius legi, vel  
audiri potest? & in medijs afflictionibus,  
& tentationibus leuavi oculos meos ad o-  
pera digitorum tuorum, & cōsolatus sum.  
Vidi enim, & consideravi verbum, & præ-  
ceptum, ac mandatum tuum perenniter  
in cœlo permanere. Ecce oritur sol, & oc-  
cidit, & ad locum suum reuertitur: ibique  
renascens girat per meridiem, & flectitur  
ad Aquilonem, Iustrans vniuersa per cir-  
cuitum: pergit spiritus, & in circulos suos  
reuertitur: vas admirabile, opus tuum.

Solis cō-  
sideratio.  
Eccl. 5.

Psal. 18.

Quam pulcher cūm exultat, vt gig sad-  
currendam viam? A summo cœlo egressio  
eius, & occurus eius, vsque ad summum  
eius; nec est, qui se abscondat à calore eius.  
Cūm infatigabili cursu in ecliptica, per  
mediã animalia tempora mutat, & acce-  
dens, atque recedens generationes, & cor-  
ruptiones affert. Dūm lunam nocturnas  
tenebras consolantem accessu, & recessu  
complet, & vacuat: vt præsit nocti, & hu-  
mectatione pluribus consulat. Quomo-  
do nunc breuiore dies ad quietem, &

1633



IN PSAL. CXVIII.

467

temperiem longioresque exhibet noctes;  
 nunc contra prolixiores dies ad calorem,  
 & fecunditatem? quomodo viuifico ca-  
 lore fouet omnia, & terræ etiam viscera  
 penetrans aurum exhibet, & argentum.  
 Tu es enim, qui emittis lumen, & vadit:  
 & vocas illud, & obedit tibi in tremore.  
 Stellæ autem dederunt lumen in custodijs  
 suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixe-  
 runt adsumus: & luxerunt tibi in iucundi-  
 tate, qui fecisti illas, qui numeras multi-  
 tudinem stellarum, & omnijs eis nomi-  
 na vocas: qui formasti Arcturum, & O-  
 riona, & Hyada, & interiora Austri: alias  
 que distribuisti, ne errore errantes; alias  
 fixas, & immobiles in firmamento con-  
 stituisti. Quis enumeraret in his omnibus  
 sapientiam tuam, quis pulchritudinem,  
 quæ à magnitudine speciei cognoscibiliter  
 videri potest? Statum suum fixum tenent,  
 & innumerabili varietate te prædicant, te  
 laudant, te admirabilem clamant. Quid  
 si etiam horum & motuum, & dispositio-  
 num ministros Angelos cõtemperant,  
 quos amatus, & desideratus ad motus hu-  
 iusmodi efficiendos, virtute à te mirifica  
 mouendi accepta, ipse immobilis, atque  
 immutabilis ciere non desinis? Hoc est ver-  
 bum, & præceptum, quod manet in cœlo:  
 quod posuisti, & non præteribit.

Et stella-  
rum.

Baruc. 3.

Psal 146.

Iob 9.

Sap 9.

Iam verò etiam terra, quã fundasti su-  
 per nihilum, & quæ in æternum perma-  
 net.

Et tertis.



*Iob 38.*

net, laudes tuas celebrat; meque consolatur, & recreat. Tu posuisti fundamenta eius, posuisti mensuras eius, tetendisti super eam lineam, bases illius solidasti, demisisti lapidem angularem eius. Verbum tuum permanet in ea, & ipsa seruat praeceptum: fundata super stabilitatem suam continens, portans, producens innumera animantia, fruges, fructus, herbas, flores.

*Iob 37.*

Expectat pluuiam: clamat ad te siticulosa, cum desiderat nubes, quae spargant lumen suum, id est, liberalitatem imbrium, siue in vna tribu, siue in alia, siue in quocunque loco misericordiae tuae eas iusseris inueniri. Alluitur mari, cui tu vectes, & seras adhibuisti, ne transeat fines suos, sed in arcem confringat tumentes fluctus suos. Rigatur fluminibus perpetuo decurrentibus, ipsa semper stabilis: fontibus inebriatur, vt concinnè omnia concinant. Veritas ergo tua in generationem, & generationem perseverat: praeceptum tuum cum terra permanet. Iam celum, & terram cum

*Et dierum,  
ac noctium.  
Ej. 18.*

admiror; & in his verbum, & praeceptum tuum perseverare contemplor: rursus dierum, ac noctium vicissitudinem animaduerto: quomodo dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam: quomodo in aliqua parte terrae solis ministerio dies fit, in alia rursus admirabili cōcentu nox: nec variatio vlla in dierum, & noctium annua alternatione, siue quantitate cernatur;



ur; sed quoniam omnia seruiunt tibi, ordinatione tua immobilia perseuerent. Hęc omnia, inquā, cū cōtemplans admiror, magna mihi ex ijs prouenit legis tuę, seu admirandę, seu seruandę facultas, frequēs incitamentum, perpetua materia. Neque id propter vnā, simplicemq̄ue rationem.

Commēdat legē primo legislatoris maiestas.

Sed primum, quia potentia tua, que in ijs lucet, valde me delectat. Cūque pulchritudo tanti operis, vndique pulchritudinem cōmendat, & clamat artificis, certē docet me, vt tanti Regis, tantiq̄ue Factoris amplectar, & concupiscā legem. Nam, si ad parendum inuitat imperantis maiestas, quanto ardore excipienda iussa, quę tantus autor imponit! Deinde, si Sapientię tuę, quę in his operibus apparet, non est numerus; & primus discendi ardor nobilitas est magistri, quo affectu lex, & doctrina mihi euoluenda, & amplexanda est, quę à sapientissimo legislatore proficiscitur?

Secundō sapientia. S. Ambr. 2. de Virg. in. in.

Ad hęc liquidō contemplor, qui singulari prouidentia, in hac ordinatione cuncta moderaris, nō permissurū, vt me, dum tibi parere, & placere studeo, calumniatores opprimant. Atque ideo legi tuę meditando liberius vacare possum, quia video me sub tua prouidentia gubernari. Præter eā cum tanta prouidentia, & sollicitudine à te administratur ea, quę propter hominē facta sunt, multo magis homines ipsos, & me gubernare non desines. Vnde constat,

Tertiō, Prouidentia.





si tribulationes, & tentationes patioꝝ, magna id dispensatione, & sapientia geri. Nō enim id sine ingenti mea utilitate permit- tis, qui tam potens, & sapiens, & bonus es. Postremò illud diligentissimè perpendo, si ea, quæ inanimata sunt, nec vlla mercede potentur, ita legem tuam seruant, quā posuisti eis, quid mihi faciendum sit, qui excellentiori modo, intellectu, & voluntate, hoc est, cognitione, & amore tibi ser- uio: nec in vacuum, aut gratis seruiō, sed tot iam donis præoccupatus, tantæ mer- cedis promissionibus ad cælestia vocor. Merito ergò hæc cōsiderans, & admirans, legem tuam, & meditari, & seruare studeo, quam quodammodo me tot, tantæq; vo- ces edocent, tot mirabilia vel surdis pro- clamant. Quoniam & per ipsa elementa mundi, tanquam per publicas paginas, si- gnificationem diuinæ voluntatis accipi- mus: nec vnquam cessat superna eruditio, quando etiam de ijs, quæ nobis famulan- tur, imbuimur.

*S. Leo ser  
7. de ieiun.  
10. mens*

92 Nisi quod lex tua meditatio mea  
est; tunc fortè periissem in hu-  
militate mea.

**E**CCÈ fructus meditationis legis tuæ,  
Nam in humilitate, & afflictione non  
esse in hac vita, quæ tota tētatio est, omni-  
mò non possum. In hac ergo summa affli-  
ctione,



etione, tentatione, deiectione, vnicum re-  
fugium, ne peream, lex tua est. In Hebraeo  
non est, forte, sed simpliciter, Tunc perissi-  
sem. Ex quo patet, suae in tribulationibus  
humanis, siue in tentationibus inuisibilis  
inimici; in quibus & periculosus, & fre-  
quentius, & difficilioribus remedijs humi-  
liamur, omnino perituros nos, nisi ad te  
clamantes in lege tua meditemur. **Quia**  
meditatione semper paratos nos esse con-  
uenit, ne repentino aliquo ictu prosterna-  
mur: sed exercitatos tentatio semper in-  
ueniat. Athleta nisi exercitio palæstræ  
prius fuerit assuefactus, non audeat subire  
certamen. Vngamus igitur oleo lectio-  
nis nostræ mentis lacertos: sit nobis to-  
ta die, ac nocte exercitij vsus in quadam  
coelestium scripturarum palæstra: artus-  
que animorum nostrorum salubris spiri-  
tualium ferculorum esca confirmet. Sit  
nobis quotidiana lectio pro exercitio, vt  
quæ legimus, meditemur imitari. Ita fiet,  
vt in humilitate tam magna, tam multi-  
plici, tam assidua nō pereamus. Perit quip-  
pe, qui non meditatatur in lege tua, in qua  
perspicit nobilitatem suam, voluntatem  
tuam, curam prouidentiae tuæ. Hæc lex  
meditatio mea est, qua custodiat, ne  
peream.

Tentatio  
num re-  
medium  
Medita-  
tio legis  
diuinæ.

Ambros.

Sed hebræa vox significantius. Nō enim  
nudam meditationem significat, sed cum  
maximo sensu, & inclinatione. Vnde dici  
potest.



Sed meditatione ex animo.

potest. Lex tua, delectatio mea est, deliciae meae, suauitates meae. Quod una vox latine exprimere non potest, expressit hebraea. Si haec omnia iungantur simul, satis apparet, qualem oportet esse meditationem legis tuae, ne in humilitate nostra pereamus.

93 In aeternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis uiuificasti me.

Vita in legis custodia.

Ezech. 10.

Quis enim nisi vitae oblitus, ac se viuere non sentiens, eorum obliuiscatur, per quae uiuit? Ergo in aeternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis uiuificasti me. Si enim vera vita animae meae ipse es, per ea uiuo, per quae tibi adhæreo: adhæreo autem per obseruationem uoluntatis tuae, & legis tuae. Nec sine causa in throno illo, quem uidit Ezechiel, quo tu ferebaris, id est, in anima, quae te glorificat, & portat, rotæ erant, quae uolubiles appellatae sunt, quocumque ducis, te facile sequentes. In his autem, inquit Propheta, quia spiritus vitae erat in rotis. Ecce lex tua, qua currimus, qua te portamus, ipsa nos uiuificat: quia spiritus vitae, id est, Spiritui ipse tuus, in rotis est. Fac nos Domine rotas tuas: fac facile uolubiles, & currentes. Pone spiritum vitae in nobis, ut faciamus semper uoluntatem tuam: tuo Spiritu



ritu viuificemur, & vegetemur, quia in  
 ipsis placitis tuis viuimus, & conforta-  
 mur.

94 Tuus sum ego, saluum me fac, quo-  
 niam iustificationes tuas exqui-  
 siui.

**N**on immerito peto à te saluari, quia  
 tuus iam sum. Cum meus esse volui,  
 male me perdidisti: nunc tuus sum, saluum  
 me fac. Tuus creatione, quia me plasmasti:  
 & dignum est, vt opifex opus suum custo-  
 diat. Tuus emptione, qui tam caro pretio,  
 sanguine videlicet diuino emisti me: & iu-  
 stum est, vt emptor rem suam seruet. Tuus  
 conseruatione, & assidua reparatione: &  
 congruum est, vt saluum facias, quem assi-  
 dua quadam quasi productione conseruas,  
 inspirans in faciem meam spiraculum vi-  
 tae. Tuus sum proposito, & electione, quia  
 me tibi totum tradidi: & consentaneum  
 est, vt, quod suscepisti, salues: quod apud te  
 totum deposui, custodias. Ceterum facilis  
 vox, & communis videtur, Tuus sum: sed  
 paucorum est. Satis rarus est, qui tibi dice-  
 re possit, Tuus sum. Ille enim dicit, qui ad-  
 haeret tibi totis sensibus, qui aliud cogita-  
 re non nouit. Fac ergo Domine, vt vere  
 tuus sim, libera me ab alijs Dominis, libe-  
 ra à me ipso, vt dicere valeam, Tuus sum.  
 Veniunt enim omnia vitia, & dicunt,  
 meus

Dei sum  
 multis  
 nomini-  
 bus.

Tuus sū,  
 vox pau-  
 corum.

Ambros.



meus es. Quem tanti comparant, quam vile mancipium est? Tu, qui solus tam multis nominibus, me ipsum vendicas tibi, tu dicito seruo tuo; Meus es tu. Quippe non negas tuum esse eum, qui ipse se non neget; aut certè, si pro te, seipsum sibi abneget. Et qui audit à te, Meus es, audet, & vicissim tibi dicit. Meus es. Quippe portio mea, & hic in exilio es, & in terra viuentium. Quam felix tecum appellatio, & responsio? Dicat tibi anima mea, secura dicat, Tua sum: dicat, & audiat ampliora, Meus es tu. Non est ista temeritas, affectus est desiderij, & dulcedo spei. Ego, inquit, protector tuus, & merces tua. Verè protector fortis, & merces magna nimis.

*Sed eorundem Meus es. Psal. 141. S. Aug. in psalm 32.*

*Gen. 15.*

95 Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: testimonia tua intellexi.

*Expectat hostes multipl. eiter. Thren. 2.*

**E**XPECTAVERUNT primò desiderantes perditionem, vt quidam inimici dixerunt. Ista est dies, quã expectabamus, inuenimus, vidimus. Quid enim latius inimicis accidere potest, quam vt ruinam meam vidèant?

Secundò. Expectauerunt, vel præstolati sunt me, patientissimè in insidijs perdurantes, vt caperent, & perderent me: parantes mihi laqueos: qui cogitauerunt

*Psal. 139.*

*sup.*



supplantare gressus meos: absconderunt laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Vidisti Domine, ne silcās, ne discē- *Psalm. 34.*  
das à me.

Tertio, Expectauerunt me, quasi nimia fiducia fortitudinis suæ, nimia experientia imbecillitatis meæ: hoc est enim expectare quasi securos.

Tandem expectauerunt me iuxta iter, velut certò scientes, me aliquando eo venturum, vbi me caperent, & perderent.

Hei mihi Domine miser sum, misericors es. Certè enim data occasione eo me fragilitas, & caro compellent, vbi laqueos extenderunt; vbi me quasi inde transiturum expectant. Vidisti Domine omne consilium eorum aduersus me in malum. Deduc me in via tua, & præcede me per viam rectam. Dirige gressus meos, ne in insidiatores incidam. Mihi enim euadere *Lex liberat.*  
aliter impossibile est. Sed gratias tibi, qui *Psalm 24.*  
euellis de laqueo pedes meos: & intellectu, atque meditatione legis tuæ, & testimoniorum tuorum eruis, & seruas me. Atque ita, si legi tuæ inhæsero, nec lætabitur de die perditionis meæ, quia in lege tua saluus sum: nec in insidijs præstolabuntur, nisi gratis, quia testimonia lux mihi sunt; & insidias eorum patefaciunt, & loca indicant, & retia ostendunt: nec, nisi frustra, quasi inermem, & imbecillum expecta-



pectabunt, quem lorica legis tuæ, & mandatorū tuorū fortitudine roborasti. Haud me inde transeuntem diripient, si mandatis tuis in viam rectam dirigar, omnem iniquitatis viam odio habens. Ergo frustra peccatores expectant me, tua lege, & custodia tutum. Expectent potius iusti donec retribuas mihi. Sed excellentiori modo Martyres sancti dixerunt, Me expectāt peccatores, qui fidem, & vitam æternam perdere conantur: sed intellectu legis tuæ, & constantia fidei muniti vicerunt vincentes se, & torserunt torqueñtes se, & vitam profundentes temporalem, victores inuenerunt æternam.

*Psal. 118.*

*Psal. 141.*

96 Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Vidi, & intellectu fidei collustratus aduertit mandatum tuum, quod est latum nimis, esse finem omnis consummationis. Quid enim consummatum, atque perfectum esse potest sine mandato, & obseruantia legis tuæ? ita vt spiritu tuo plenus dixerit quispiam, Mandata tua obseruare, hoc esse omnem hominem. Quod si hoc omnis homo; absque hoc nihil omnis homo. Ita sanè, qui enim abs te elongatur, nec legem tuam seruat, pro nihilo, & nihil est. Quid est enim homo, nisi quia tu in-

*Eccl. vi.*

*Psal. 143.*

notiſſi



IN PSAL. CXVIII. 477

notuisti ei? Vidi etiam mandatum tuum esse finem omnis consummationis, tum quia totius perfectionis est regula, omnemque consummationem affert, & finem re ipsa praestat, siue mala malis, siue bonis tandem reddendo.

Sed & illud perspexi, omnis rei quantumcunque perfectæ, ac cōsummatæ tandem finem esse, siue prospera sint, siue aduersa. At mandatum tuum patere latissime, & sine fine esse, quatenus hominē ad vitam, quæ est sine fine perducit. Legimus & consummationem malitiæ, & consummationem virtutis, & consummationem hominis, & consummationem seculi. Sed horum omnium finem vidi, sed non ita mandati tui, quod omnia complectitur. Sed quomodo cum angusta sit via mandati tui, siue in intellectu fidei, siue in tramite virtutum, mandatum ipsum latum esse potest? & tamen latissimū est: quia in ipsis angustijs viæ cor nostrum dilatat, educens nos in latitudinem. Caritas enim tua; & imitatio tua, & consolationes tuæ statuūt in loco spatioso pedes nostros: vt dilatato corde, & præparatis pedibus, tanquam ceruorum, & brachijs instar arcus ærei roboratis, & spatiose pascamur; & in te, per te, ad te, in summa latitudine curramus.

Mandatū  
Dei sine  
fine, quia  
ad v. tam  
sine fine  
perducit.

Psalm. 30.

(?)

Mem,



Mem, id est, Ex ipsis.

*Octonarius XIII.*

- 97 **Q**UO MODO dilexi legē tuam  
Domine? tota die meditatio  
mea est.
- 98 Super inimicos meos prudentem  
me fecisti mandato tuo: quia  
in æternum mihi est.
- 99 Super omnes docentes me intel-  
lexi: quia testimonia tua medi-  
tatio mea est.
- 100 Super senes intellexi: quia man-  
data tua quæsiui.
- 101 Ab omni via mala prohibui pe-  
des meos: vt custodiam verba  
tua.
- 102 A iudicijs tuis non declinaui: quia  
tu legem posuisti mihi.
- 103 Quam dulcia faucibus meis elo-  
quia tua? super mel ori meo.
- 104 A mandatis tuis intellexi: pro-  
pterea odiui omnem viam ini-  
quitatis.



97 Quomodo dilexi legem tuam  
Domine? tota die meditatio  
mea est.

**Q**UAM ardentem, quam ex animo di-  
lexi legem tuam Domine? legem,  
inquam, quam tu dedisti nobis in corde:  
& in visceribus nostris inscripsisti: de qua  
antea dixi, latum esse mādatum tuum ni-  
mis. Hæc verò lex est, quæ non premit,  
sed erigit; nec imposta est vsque ad tem-  
pus correctionis, sed immaculata, perma-  
nens in seculum seculi. Hanc, quia dile-  
xi, potuit tota die, id est, perpetuò medi-  
tatio mea esse. Nec enim timendum, ne  
non possim semper inspectare, quam pos-  
sum semper amare. Cura enim disciplinæ  
dilectio est, & dilectio custodia legum tua-  
rum. Et hinc etiam potest intelligi, quan-  
topere eam diligam, cum tota die cor meū  
in ea sit: illam cogitē, in ea delecter. Nem-  
pe illa est thesaurus meus, propterea sem-  
per est in ea cor meum. Quam felix ani-  
ma, quam pennis pulcherrimis, & integer-  
rimis eleuat lex ista tua, vt ad te ascendat  
volando, quæ ascendit amando!

Medita-  
tio perpe-  
tua ex a-  
more.

Psalm. 8.

Sap. 6.

98 Super inimicos meos prudentem  
me fecisti mandato tuo: quia in  
æternum mihi est.

**E**T quoniam mandatum hoc tuum, in <sup>Supra</sup>  
æternum mihi est, lex hæc, quam per-  
petuò,



Inimico-  
rum Lex  
Dei est.

petuo, & contemplor, & diligo, sine inter-  
missione, aut termino mihi est: ideo gra-  
tulabundus, & laudans gratias ago, quod  
ea me prudentem fecisti super inimicos  
meos. Quærant astuti homines quomodo  
noceant. Sed lex tua prudentiorem facit  
me, vt consilijs eorum non capiar. Quæ-  
rant inimici inuisibiles, quomodo me per-  
dant; huius legis lumine, astutias agnosco,  
ictus declino: scutum, & arma tua, quibus  
protegar, oppono. Quid enim timeam, si  
coelesti prudentia vallatus fuero? Ipsa  
quippe amor est acute discernens ea, qui-  
bus abs te separari possum ab ijs, per quæ  
accedo.

99 Super omnes docentes me intel-  
lexi: quia testimonia tua medita-  
tio mea est.

Vis do-  
ctrinæ ex-  
lestis.

**E**T quidem assidua huius legis medita-  
tione eo proficere potui, vt etiam su-  
per doctores meos intellexerim. Profeci  
tamen eo vsque, non ingenio meo, non  
magistrorum industria, sed gratia tua. Nā  
illi non poterant nisi exterius erudire. At  
nisi tu Magister meus intime ipsam legem  
tuam digito inscriberes, non in tabulis la-  
pideis, sed in tabulis cordis mei, fru-  
stra illi sonarent sapientiam  
foris, quam abs te non  
perciperem in-  
tus.



**xio Super senes intellexi, quia manda-  
ta tua quæsiui.**

**N**on est ista temeritas, non arrogan-  
tia, sed laus tua mandatorum tuorum,  
& gratiæ tuæ virtus, non ingenij, vel in-  
dustriæ meæ fructus. Non enim super illos  
senes intellexisse mei actò, quos tu lege tua  
erudiens vera sapientia illustrasti: sed de  
ijs loquor quos ætas, aut experientia, &  
rerum vsus, aut humanus intellectus eru-  
diuit. Quantalibet enim hi scientia pol-  
leant; & plura, & perfectius ego intelli-  
go, mandata tua quærens, & inuestigans.  
Anima enim viri sancti (quam scilicet tu *Eccl. 37.*  
erudis) enuntiat vera, quam septem cir-  
cumspectores sedentes in excelso ad spe-  
culandum.

Super om-  
nem do-  
ctrinam  
lex Dei.

**xior Ab omni via mala prohibui pedes  
meos: vt custodiam verba tua.**

**I**Ta mihi venerationi fuerunt verba tua, Exacta le-  
ge vt nec in magnis, nec in paruis ab ijs re- gis custo-  
cedendum putarim. Nec ab vna, aut alte- dia.  
ra via mala, sed ab omni prorsus, qualis  
est omnis, quæ à lege exorbitat tua, pedes  
meos prohibui. Dixi autem. Prohibui,  
quasi pro potestate, & imperio coercens  
illos, suapte natura, & concupiscentia ad  
deuiandum pronos. Legem enim mem-  
X bro.

nter-  
gra-  
quod  
icos  
odo  
facit  
Quæ-  
per-  
fco,  
ibus  
m, si  
Ipsa  
qui-  
quæ  
tel-  
ita-  
dita-  
n fu-  
ofeci  
non  
Nā  
e. At  
gem  
is la-  
u-  
Su-



Ex Del  
gratia.

*Psal.* 113.

*Ios.* 3.

*Ios.* 4.

biorum, & corpus mortis in saluginem maris, instar aquarum, defluentia, te quidem legem ponente, & seras, ac vectes constituyente, legis tuæ custodia continui, vt ad imperium tuum Iordanis, qui continenter defluit, id est, corruptelæ humanæ lapsus, conuertatur retrorsum. Ita nouo miraculo, dum ad terram promissam properamus, stant aquæ, nec in præceps excurrunt. Tibi canantur laudes Domine, tibi mirabiliū effectori. Nā mihi sine te quid sum, nisi dux in præceps? Ponantur & tibi lapides memorialis, vt, cum interrogauerit cras mens mea, quid sibi volunt lapides isti, id est, monumentum, & memoriale magnalium tuorum, respondeat spiritus grato animo, id factū esse, siccante Domino Deo nostro aquas in conspectu nostro.

102 A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.

Perseuerantia in  
legis custodia.

Hinc & illud factum est, vt non solum prohibuerim à vitis pedes meos, sed etiam indefinenter eos in iussis perstare fecerim. Ideò declinaui à malo, & à bonis non deflexi: quia nec à iudicijs, & placitis tuis, in quibus totius rectitudinis linea est, sum passus auerti. Id autem, etsi carni difficile, atque arduum est, ideò consecutus sum, quia tu legem posuisti mihi. Tu inquam, cui tanquam factori, iudici, benefactori,



factori, parenti, remuneratori non perpetuò obedire nefas duxit. Quis enim hæc cogitans, à lege tua recedat? Quis memor tui non pareat tibi? Quis legislatorem te reputans, non intimis medullis legem exosculetur? Nec solum ea me consideratio à declinando absterruit, & retraxit, sed illud præcipuè, quia tu legem posuisti mihi, gratiam simul, & vires intus præbens. Posuisti quippe legem non solum iubendo, & illuminando, sed etiam sanando, dirigendo, afficiendo. Vnde & alibi oravi. *Psal. 24.* Domine demonstra mihi. Parum est. Et semitas tuas edoce me. Neque hoc sufficit mihi, sed addo. Dirige me in veritate tua, & doce me. Sed neque hoc satis, tantus est animæ languor, ergo & trahere me, & portare me. Quippe tu dixisti. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo. *Isai. 46.*

103 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?

**S**ERVARE quidem legem tuam, nec ab ea declinare, tuæ virtutis est Domine, non humanæ infirmitatis; sed eousque imitari hominem, ut etiam dulcis ea fiat, hoc planè magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquitur, & mirabilia tua narrat. Nam ut ea, quæ sensum morificant, carnem trucidant, dulcia faucibus fiant, hoc omnino gloriam regni tui exaltat. Super

*Gratia legem iudicanda facit.*  
*Psal. 144.*



*Psal. 18.*  
*Prov. 16.*

mel fiunt dulcia animæ desideranti. Fauus mellis, inquit spiritus tuus, verba composita, vita animæ, sanitas ossium. Quæ verba composita, id est, dulcia sunt, si tua non sunt? Quæ de melle cæli mellea, & de lumine tuo luminosa animam non dulcorant modo, sed dulcedine inebriant. Inuē-

*Jerem. 15.*

ti sunt sermones tui (ait alius Sanctorum) & comedi eos: & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiā cordis mei, quoniam inuocatum est nomē tuum super me Domine Deus exercituum. Sed hæc dulcedo experientia potius magistra, quam scientia, aut narratione scitur. Exaggeret quis quantum potest dulcedinem mellis, verba sunt, aliud est gustus. Idcirco, Gustate, inquit, & videte. Vide

*Psal. 33.*

Domine corruptionem palati nostri, sana illud, eleua ad superiora: & gustet dulcedinem tuam, quam amare non potest, si nihil ante de eius suauitate gustarit.

104 **A** mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Profectus  
ex legis  
custodia.

**A** N I M A D V E R T E singularem fructum ex Dei mandatis, & animæ sanctæ per ea profectum. Et quoniam, inquit, eloquia tua mihi dulcia super mel fuerunt, idcirco & potui ea semper meditari, atque ex ea meditatione non solum man-

data



data tua intellexi, id est, quid præciperes, quid prohiberes : sed etiam ab ipsis mandatis (quæ cum intellectum illuminarunt scientia, tum etiam opere completa, affectum perpuigando, ad ampliora lumina extulerunt) longè maiora, & præstantiora intellexi. Vidi quippe in eo lumine summam vilitatem, & infirmitatem meam, vitiorum sceditatem, virtutis pulchritudinē, speciositatem, ac sublimitatem tuā, puræ animæ candorem, virtutis tuæ adiutorium, & firmitatem obedientiæ, in te dulcedinem, retributionis inexcogitabilem amplitudinem. Hæc enim, & longè plura à mandatis tuis intellexi: quo factum est, vt non modo pedes meos à via mala prohibuerim: à iudicijs tuis non declinauerim: omnem viam malam à me excussierim: sed etiam omnem iniquitatem odio habuerim. Quæ enim odio habemus, nec nominari patimur, nec ad ea patienter oculos conuertere possumus, quin longissimè abijcimus; & vel solum aspectum perhorremus. Non enim nequicquam dixit Sapiens. Quasi à facie colubri fuge peccatum. Quis enim cum serpentem viderit, quem veneno plenum mortifero norit, diu deliberet, an fugiendum? ira & viam malam, vbi vita animæ meæ, quæ tu es, à me excluditur, odio habens quasi naturali quodam horrore execratus sum. Nec solum grauia peccata, quæ à te omnino se-

Quantum à peccatis abhorrendum.

Eccl. 21.

Etiam leuia odio habenda.

X 3 parant.



parant; sed quoniam etiam leuiores id faciunt, ut à te distrahant, atque intimam coniunctionem impediunt, illa etiã odio habui, & abominatus sum. Non enim paruum bonum impediunt, cum feruorem tepesciunt caritatis, & familiarem tecum conuersationem interturbant: à quo vel modica separatio, quasi mors præsens, ac perniciosissimus mihi interitus credendus est.

¶ Nun, id est, Sempiternum.

*Oronarius XIX.*

105 **L**ucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

106 Iuravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

107 Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundum verbum tuum.

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.

109 Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam nõ sum oblitus.

110 Po-



110 Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erravi.

111 Hereditati acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

112 Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.

105 Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

**Q**UAM necessaria lucerna, ubi viae superiorum Adam, non nisi tenebrae, & lubricum? Gratias tibi amator salutis perditorum, qui in caliginoso loco, donec dies illucescat, lucernam parasti nobis verbi tui; pedibus lucernam, semitis lucem: alioqui quis posset tuto pedem figere? Sed lucerna praemittenda est ante faciem, ut gressus dirigat. Nam si post terga habeatur, pedes omnino offendant necesse est. Et, iustus est, non qui fidem habet, sed qui ex fide vivit. Sunt in via foveae, sunt lapides offensionis, sunt spinæ, sunt ferae bestiae: quis pertransit illæsus sine lumine? Porro lucerna hæc oleo perpetuo nutrienda.

Lucerna  
necessitas.

Psal. 34.

Debet  
praemitti.

Rom. 1.

Nutrienda  
oleo.



da est, ne deficiente pabulo lumen deficiat; & oleo nutrienda, quod à te Iesu luminosissime, per multa infusoria in nostras lucernas deriuatur; idque in vasis semper habendum, ne cum fatuis Virginibus excludamur. Non extinguatur Domine in nocte lucerna mea: luceat semper, & ardeat. Primò, vt à furibus insidiantibus, & perfodientibus custodire me valeam. Secundò, ne in tenebris ambulans, etiam domi, vbi nemo me videt nisi tu, id est, in occultis cordis mei corruam, offendam, & crura, caputve lædam. Tertio, vt quemadmodum decet filium lucis, & dei, in omnibus honestè ambulem, & recta opera in lumine faciam, non quæ in obscuro fieri consueuerunt. Denique, vt, cum veneris, & pulsaueris, confestim aperiam tibi, & reuertenti à nuptijs lætus occurram. Quam ob causam & præcinctis lumbis, & lucernas manu tenentem ardentem, vigilare, ac præstolari me iubes.

106 Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

**Firmissimum propositum necessarium.**

**L**Vx ipsa, qua distantiam boni, mali que cognoui, efficaciter mouit me, vt firmissimè statuerem, & iuramento me obstringerem seruare legem tuam, quam iudicia iustissima agnosco. Firmissimum autem propositum, & omnino efficax de-

fide-



fiderium necessarium est, vt legem seru-  
 uem aduersus quam lex membrorum, quæ *Rom. 7.*  
 intima est, & innata tā pertinaciter & cō-  
 cupiscit, & pugnat, imò & captiuat. Nec  
 leuia proposita, aut imperfectæ volunta-  
 tes, seu velleitates sufficiunt, ne cadamus in  
 id, quod valemus; si id, quod nondum va-  
 lemus, non tantum volumus, quantum sat  
 est, vt valeamus. Et scimus te, cum  
 hostes populi tui Philistæos terrere Domi-  
 nus voluisses, fragore magno intonuisse. *1. Reg. 7.*  
 Quia tepida desideria nostra hostem nec  
 prosternunt, nec fugant: fragor autem  
 magnus, id est, feruor sancti desiderij, qui  
 à te immittitur, hic spiritualem hostem  
 debellat.

107 Humiliatus sum vsquequaque Do-  
 mine: viuifica me secundum ver-  
 bum tuum.

ET quidem in afflictionibus, quibus *Iusti hu-*  
 valde afflictus sum, in tua misericordia *miliatio*  
 speravi quia promissis tuis confortatus *maxima*  
 sum, per quæ sperantibus, & clamantibus *lex mem-*  
 ad te liberationem, & vitam pollicitus *brorum.*  
 es. Sed quæ maior humiliatio, quam vt in  
 me sentiam, vnde carne seruiam legi pec-  
 cati? Certè humiliatus sum nimis, & in *Psal. 115.*  
 excessu, & pauore meo dixi. Omnis ho-  
 mo mendax: quia saluare non potest. *Rom. 7.*  
 Quis ergo me liberabit de corpore mortis  
 X 5 hu-



huius, nisi gratia tua? ne ibi fiat seruitus in tam periculosa pugna, vbi debet esse dominatus, sed præualeat spiritus à te viuificatus. Ideò quippe dixi Viuifica: quia hæc pugna mihi amarissima mors est. Viuificabis autem spiritu tuo, qui est vita ipsa, vt vitales actiones faciam. Secundum, inquam, verbum tuum, quo promisisti daturum te spiritum bonum petentibus. Spiritum rectum Domine da mihi: ita fiet, vt de spiritu tuo viuam.

*Luc. 11.*

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, quia ex corde orata.

*Eccl. 15.*

**S**ANE os meum, & lingua mea, quam fecisti, ad laudandum te, resonant magna tua, gratiarum actiones, benedictiones, & iubilationes, nec cessant etiam per os omnium creaturarum laudare te. Sapientia enim terræ adstabit laus, & in ore fidei abundabit. Sed, quæ ore profero, ex intimo cordis sensu proficiscuntur; & corde magno, & animo volenti offeruntur, ideò voluntaria oris mei appello. Ea Domine beneplacita fieri cupio, id est, vt integrè placeant in conspectu tuo: vt sit voluntas, approbatio, & complacentia tua in eis. Sic ea respice quasi quæ in oculis tuis grata sunt. Sed quoniam vox Hebræa, & voluntaria significat, & spontanea, & libe-

rali-



raliter, largeque oblata, his omnibus modis peto tibi grata, acceptaque fieri. Itaque voluntaria & ex magno cordis, ac voluntatis affectu oblata, sed per os vix tenuiter adumbrata, precor, ut animi desiderium, quod à te est, & tibi omnino est manifestum, respiciens, beneplacita facias. Exigua enim apud te esse non possunt, quæ ex cordis latitudine proferuntur. Spontanea autem voco, quæ supra iussionum tuarum legem offero. Non enim sufficit amori ea tantum agere, quæ iussa sunt, sed longè plura ultro, ac spontanee præstat. Est enim is plenus oculis, & pennis, ut animalia illa, in quibus sedentem te, tanquam in curru vidit Ezechiel Oculis, quia in omnes se partes versat, & dispicit quid tibi gratum esse possit: pennis, quia alatis desiderijs ad opus prouolat. Sed nisi manus tua sub pennis sit, quæ cieat, moueat, & iuuet, in vanum laboratur. Liberaliter verò, largeque proferuntur, quia diligenti nullus est terminus faciendi pro te: quia & ipse pluuiam voluntariam, siue spontaneam, seu liberalitatē, segregasti hereditati tuæ. Quam angusta erigo anima, quæ ea, quæ pro te amor facienda dicat, cancellis, terminisque vllis concludere audeat? Cum contra spiritus tuus, nullis finibus contentus profluat largiter, exuberet abundanter, faciens supra quam petimus, aut intelligimus?

Et quoniam iudicia, siue mandata tua,

X 6 quo

Et quæ supra mandata.

Amor plenus oculis, & pennis.

Ezech. 1.

psal. 67.



**Proficien-** quo diligentius seruantur, eo magis illu-  
**dum sem-** minant, possumusque perpetuò de clarita-  
**per.** te in claritatem proficere; idcirco quam-

**2. Cor. 3.** uis & mandata dilexerim, & dulcissima  
 expertus sim, eaque magno conatu adim-  
 plere conatus sim, oro tamen, quæsoque  
 vt amplius, & lucidius iudicia tua doceas  
 me: vt non vltione, sed vnctione magistra  
 discam, quid desit mihi: discam non su-  
 blime sapere, sed cupiam semper ad ante-  
 riora te doctore, & ductore progredi, & ex-  
 tendi.

**109 Anima mea in manibus meis sem-**  
**per: & legem tuam non sum**  
**oblitus.**

**Mira con-**  
**stantia.**

**A**NIMAM habere in manibus, est per-  
 petuò in periculo vitæ versari. Intel-  
 lige ergo fortitudinem, firmitatemque  
 Prophetæ: & ad imitandum tantum decus  
 affurge. Cum homines ita solliciti sint pro  
 vita, vt non possint quicquam aliud cogi-  
 tare, quandiu in periculo versantur, quam  
 quomodo effugiant, quomodo se tuean-  
 tur: quibus vijs, præsidijque inimicorum  
 fraudes, & machinamenta declinent, adeò,  
 vt non solum ijs distenti, de Deo, ac lege  
 eius meditari non valeant, sed etiam ip-  
 sam legem violare audeant: & quidlibet  
 agere animum inducant, modo euadant:  
 Ego, inquit, contra in medijs ipsis peri-  
 culis;



tuis; quasi vitam, & sanguinem meum  
 in manibus portans, legis tuæ meditationem,  
 Deus meus, custodiamque non deserui:  
 nec quicquam aduersus eam excogitavi,  
 quo effugerem: quin potius eò me magis  
 liberum, ac tutum arbitratus sum, quò tuæ  
 me custodiæ, atq; tutelæ securius commendaui.  
 Sed, quoniam sunt alij perniciosiores  
 hostes, qui mihi vbiq; atque omni tempore  
 insidiantur, nec de temporali tantum vita  
 quotidie periclor, sed de æterna, omnino  
 mihi faciendum intellexi, vt omnem similitudinem  
 in te proieciam: quoniam non te subtrahes,  
 vt cadam. Itaque putavi, quò attentius in te  
 respicio, cogitatumque meum omnem in te  
 iacto, eo mihi tutius inter insidias licere  
 viuere, vt illud valeam cum fidei exultatione  
 gloriari. Dilectus meus mihi, & ego  
 illi. Si de te solo cogito, nihil de me sollicitus,  
 sed de ijs duntaxat, quæ ad tuam voluntatem,  
 & gloriam pertinent, tu vicissim pro me  
 sollicitus eris. Intende tu mihi, quia  
 benignus, & misericors es: ego tibi, quia  
 non sum ingratus: tu salutem meam, tuo  
 ego honori: vt fias petra mea, & turris  
 fortitudinis à facie inimici, spes à turbine,  
 vmbaculum ab æstu: tantoque securius in  
 te, quam in mea solitudine viuam, quanto  
 sub alis tuis dulcius, tutiusque requiescam.

Ecccl. 6.

Cant. 2.

Psal. 60.



no Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erraui.

**R**VRSVS constantia in mandatis exprimitur, & inter oppugnationes hostiū, & inter insidias. Sed compatiendum valde nobis ipsis Domine, quibus hostes inuisibiles, tanquam feris laqueum parant, occulte tendunt retia, vt capiant nos, & pedibus implicatis prædam deuorent. Sed quo recurrendum, vt euadamus? Non alio sanè, quam ad mandata tua. A quibus si non aberrauerimus, in illorum manus non incidemus. Callidi sunt hostes, vigilant semper, & non dormiunt, vt sagittent in obscuro miseros, quos persequuntur. Quis eorum insidias euadat? nisi humilitas, & oratio? Oculi mei semper ad te, quoniam ipse euelles de laqueo pedes meos. Da mihi Domine pennas amoris tui, casti timoris, sancti desiderij, & frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Assumam columbæ deargentatæ pennas, & volabo, & requiescam. Si sublimis in altum euectus, suspensusque à fallaci seculo, pedem in terra non fixero, laqueos effigero. Ecce oculi mei in manibus tuis o piissime : ne expectare facias illos ne deficiant. Defecerunt quippe oculi mei in eloquium tuum, dicentes. Quando con-

sola-

*Necessitas  
opis  
diuinæ.*

*Psal. 10.*

*Psal. 24.*

*Prov. 1.*

*Psal. 67.*



solaberis me? Deus in adiutorium meum *psal. 118.*  
 intende, alioqui capior. Domine ad adiu- *psal. 69.*  
 uandum me festina; festina & noli tardare.  
 Nam si tardaueris, pereo. Veloces sunt ini-  
 mici, sanguinem sitiunt, proximi semper.  
 Ego imbecillis ultra quam intelligere va-  
 leo. Itaque festinatione opus est.

**In** Hereditate acquisiui testimonia tua  
 in æternū: quia exultatio cordis  
 mei sunt.

**I**AM ipsa testimonia tua, ipsa mandata, Quā præ-  
 legem voluntatis tuæ non ita percepi, clara he-  
 quali transeunter, & furtiuè susceperim: sed *reditas*  
 iure perpetuo, tanquam propriam heredi- *Dei lex.*  
 tatem possedi, idque in æternum. Non  
 enim morte relinquitur hæc hereditas, *psal. 26.*  
 imò cum dederis dilectis tuis somnum, tūc  
 ecce hereditas tua. Ergo vt diuitias meas,  
 patrimonium meum, firmamentū meum  
 illa acquisiui, & possedi. Beata hereditas,  
 quæ nec à vicinis violentis eripi, nec va-  
 stari ab hostibus, nec tempestatum iniu-  
 rijs lædi, nec morte auferri potest. Præcla-  
 ra hereditas, qua fit, vt ipse sis hereditas  
 mea, possessio mea. Planè funes ceciderunt *psal. 15.*  
 mihi in præclaris. Nam & ego possessio tua  
 per ea sum, beatus tali possessore meo: &  
 ipse possessio mea æterna mihi es, beato  
 possessione mea tanta. Hanc mihi hæredi-  
 tatem



tatem legis tuæ, quam vt pijsſimus pater, non decedens, ſed ſemper viuens, quamuis non niſi intercedente morte filij tui, dediſti mihi: hanc, inquam, & cuſtodire, & ſeruare neceſſe eſt in gladio, & arcu meo, imò verius in gladio, & arcu tuo. Tu enim es, qui reſtitues, & ſeruabis hereditatem meam mihi. Hanc excolere diligentiffimè: vt fructum referat, de pomis fructuum Solis, ac Lunæ, quæ ſcilicet tuo calore progignuntur, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum: Qui enim operatur terram ſuam, ſaturabitur panibus: qui autem ſectatur otium ſtultiſſimus eſt. Non declinem ab ea Pater bone. Quam enim partem haberes in me deſuper Dominus meus, aut hereditatem omnipotens de excelsis? Itaque hac hereditate non fruſtra gloriſ, quam retinere modis omnibus cupio: quia exultatio cordis mei ipſa teſtimonia tua ſunt. Non igitur timendū, ne diuturnitate temporis, quaſi onere grauer, quia exultatio cordis mei ſunt. Ex quo facile, & ſuauiſter, imò & lætabundus librū legis tuæ, quem ſcripſiſti, in humero meo portem, & circundem illum, quaſi coronā mihi. O legem deſiderabilem, quæ onus non aggruat, ſed alleuat; & portantem quaſi corona ornat, & protegit.

*Pſal. 33.**Pſal. 15.**Deut. 33.**Prou. 12.**vide**Eccl. 20.**Iob 37.*



Inclinaui cor meum ad faciendas  
iustificationes tuas in æternum  
propter retributionem.

QVONIAM vero suo pondere, id est, amore, quo fertur, carere cor non potest, ne ad vanitates, & insanias falsas, id est, ad sensibiles appetitus vergeret, inclinaui illud, id est, toto pondere ad iustificationes tuas tendere feci. Inclinaui etiam, quia per humilitatem legi tuæ subieci: ne erigendo se, caderet infra se; ac per hoc nec se inueniret, nec te. Non est enim voluntaria subiectio nisi humilium. Imò inclinaui, vt immediatè contingeret præcepta tua, quibus agglutinaretur: nam quicquid medium interponitur, iam cor seiungit. Quare obsecro te, aufer à me quicquid intercedere potest, vt se toto placita tua tangat: illis penitus adhærescat.

Nec parua censenda est retributio pax ipsa, & quies, quam in adhæensione ad legem tuam inuenit. Nam omnia ponderibus suis aguntur, & loca sua petunt. Minus ordinata inquieta sunt: ordinantur, & quiescunt. Atque ita cor hominis, dum in mandatis tuis requiescit, in te requiescit: ac propterea verè requiescit. Nam vix animæ audaci, quæ sperauit, si à te recessisset, se requiem habituram, cum dura sint omnia, & tu solus requies. Et qui-

Inclina-  
tur cor  
Primò per  
amorem.

Secundò,  
per humi-  
litem.

Tertiò,  
ad tangē-  
dum.

Retribu-  
tio est Pri-  
mò pax, &  
quies.  
Aug. cōf.  
l. 33 c. 10.



quidem, si nulla esset alia retributio, merito ob hanc pacem, quam in lege tua quiescendo inuenio, cor meum ad illam inclinarem.

**Secundò,** Sed est & alia retributio, quâ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quia seruâtibus legem tuam promissisti speciem tuam, & quibus dedisti, vt te diligere, promissisti te ipsum manifestare. Quo breui verbo omnia desiderabilia concluduntur. Sed namquid Domine, quia propter retributionem ad legem tuam sectandam accingor, mercena ius sum, vt

**Tertiò,** ipse Deus, propter mercedem seruiam? absit. Et mercedem specto, & mercenarius non sum, cui ex amore quia merces mea magna nimis tu ipse es; & visio, & amor possident te. Quid enim *Psal. 72.* mihi est in cælo; & præter te quid volui super terram? Amore igitur serui, vt amore possideam. Hæc est enim verè beata vita

*Aug cōf. l. 10. c. 22.* gaudere ad te, de te, propter te. Propter hanc retributionem qui seruit, quoniam amor merces est, & tu ipse, qui amore in æternum possideris, merces es, non propter aliud te diligit, neque alio tendit. Ergo inclinavi cor ad faciendas iustificationes tuas propter hanc retributionem, quam solam intendo, solam cupio: cui soli inhio, quæ sola vita est.



Samech, id est, Adiutorium.

*Octonarius XV.*

113 **I** Niquos odio habui: & legem tuam dilexi.

114 Adiutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum super speravi.

115 Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.

116 Suscipe me secundum eloquium tuum, & viam: & non confundas me ab expectatione mea.

117 Adiuua me, & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.

118 Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis: quia iniusta cogitatione eorum.

119 Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: idè dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

113. Ini-



## 113 Iniquos odio habui : &amp; legem tuam dilexi.

Iniquorū  
displicet  
iniquitas  
non natu-  
ra.

**Q**UOD tibi displicet, placere mihi non potest. Quod ipse odio habes, amare non possum, qui te, & legem tuam ex animo dilexi. Iniquos odio habui, quia iniqui sunt, id est, à lege tua discedunt. Quod ipse fecisti in eis, proba, & diligo, hoc est naturam, quam bonam bonus autor fecisti. Quod ipsi fecerunt, hoc est iniquitatem, odi, & execror. Imagini quippe tuæ, quam decoram condidisti, ipsi adulterinam, fœdamque superinduxerunt, & piceo quodam colore formosam denigrarunt. Quoniam iniquitatis, & mendacij pater persuasit voluntati illorum similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate non stetit. Quomodo ergo diligam, quos diabolo factos esse similes agnoui, cuiusque tetram imaginem superinduxisse?

Ex odio  
est primò  
propter  
fœditatē.  
Secundò,  
propter  
recessum  
à Deo.  
Tertiò,  
propter  
scandalū.  
Iusti com-

Odio autem habui tum propter fœditatem, quæ ex tua luce mihi supra modum apparuit: tum quia à te recesserunt, cui toto affectu inhæreo: tum etiam, quia odorem tuum inter homines fœtere faciunt: tum quia scandalo, & ruinæ alijs sunt: tum etiam, quod me dissonantia morum ad peiora detrahunt. Facit autem hoc odium, ut te ipsum magis diligam: me mutabilem agnoscens in tuo lumine humiliem: à

te



te supplex auxilium, & confirmationem *moda ex*  
 expetam: vitam hanc paleis, & zizanijs *peccato-*  
 intermistam deplorans grauate feram: ad *ribus.*  
 mundiorem, & quietiorem aspirem, & su-  
 spirem: pro his gemebundus ad te preces  
 effundam, si quo modo des eis spiritum  
 poenitentiae, vt a vanitate ad veritatem tra-  
 seant: & tenebras exuentes luce tua vesti-  
 tur: & cetera cum odio proijcientes, tibi  
 vni toto pectore adhæreant. Ita sanè illos  
 odio habui, & legem tuam dilexi, quæ, vt  
 mihi odij erga iniquitatem causa est, ita &  
 compassionis erga iniquos, & amoris erga  
 te mihi incentiuum fuit.

114 Adiuutor, & susceptor meus es tu:  
 & in verbum tuum supersperaui.

**I**N Hebræo significantius, pro adiutore,  
 latibulum: pro susceptore clypeus, vel  
 scutum. Quibus vocibus significatur, non  
 quocūque modo te esse adiutorem meum,  
 sed intra viscera misericordiae, quasi intra  
 latibulum abscondendo. Quid timeat, qui  
 intra te latitat? quis inimicus in hoc lati-  
 bulum perrumpat. Clypeus à circumdan-  
 do, & sepiendo, atque concludendo voca-  
 tur. O susceptorem non qualemcunque,  
 sed scutum protegens, atque circumdans.  
 Iaculetur sagittas ignitas, qui sagittat in  
 obscuro, sub hoc clypeo tutus sum. *Psal. 10.*  
 Vti-  
 nam ab eius velamento nunquam rece-  
 dam,

Deus Ta-  
 sto lati-  
 bulum.

Et cly-  
 peus.

*Psal. 10.*



dam, & vulnera non formido. Hanc autem mihi protectionem non arroganter vsurpo sed quoniam verbum tuum, & promissio tua sperare me facit.

*Supersperare significat Primò bene fundatam sp̄. Psal. 145.*

Sed quid est supersperavi, ἐπὶ ἄλλοις? vehementer speravi: firma basi subnixus speravi. Spes enim, qui in homine ponitur, fallax, & vana est. Nesciunt, nolunt, nequeunt me iuuare. Exhibet spiritus Principis, & reuertetur in terram suam. Quam malè innititur, qui innititur super eo? Tu autem Domine, si tibi innitat sustinens te, in te sperans, non sustinebo mendacem; non eum, qui falli possit; non eum, qui non sit inuenturus, quod det. Nec falli potes, nec fallere, non magis, quam egere vt dare non possis. Ideò in verbo tuo non solum speravi, sed supersperavi.

*Secundò, semper magis sperare.*

*Ambros.*

*Tertiò, spe supra humana.*

*Quartò, res superiores.*

*Quintò, etiã contra spem.*

Supersperare autem eius est, qui semper addit ad sperandum: &, cum sperauit aliquid, iterum sperat, & spe proficit, extendens se semper ad superiora, & ea quæ præterijt obliuiscens.

Supersperavi etiam, quia plusquam humana fiducia speravi, sed in te, in quo solo superspes est.

Nec vulgaria, aut temporalia à te speravi, sed superiora, cælestia, & æterna, ideò supersperavi.

Supersperavi etiam, quia memini dictum à Spiritu tuo; vt, qui tribulationem  
super



super tribulationem expectat ( quibus cor-  
ripis, purgas, sanctificas ) ipsi etiam spem  
super spem praestolentur. Spes enim non  
confundit: ideo supersperaui.

*Isai. 28.  
secundum  
Sep: uag.  
Rem. 5.*

115 Declinate à me maligni, & scruta-  
bor mandata Dei mei.

**M**ALI, & peruersi homines siue cum Iniqui  
premunt, siue cum honorant, & ob- bonis im-  
sequuntur, mirum quantopere à lege Dei pedimen-  
auocent: quæ non nisi in tranquillitate to.  
cordis, & sancto otio discitur. Quare Sa-  
piens monet sapientiam discendam in *Eccl. 38.*  
otio. Ideo, vt legem Dei perscrutari va-  
leam, iniquos à me declinare, & recedere  
iubeo. Nocent premendo, nocent exem-  
plo, nocent occupando. Declinate à me,  
& scrutabor. Sed, cum omnes maligni im- *Maximè  
demonēs.*  
pediant, illi præ ceteris intelligendi sunt,  
qui priuilegio malignitatis Maligni spiri-  
tus vocantur: illi præ ceteris impediunt, &  
præ ceteris arcendi, qui mille modis ab  
omni quidem bono, vel opere, vel cogita-  
tu nos impedire satagunt, sed præcipuè à  
studio Scripturarum sanctarum, & à lege *Prou. 11.  
secundum*  
Dei meditanda. Malignus ( inquit Scri- *Septuag.*  
ptura ) nocet cum se commiscuerit Iusto:  
odit autem sonum tutelæ. Nocet quippe  
commiscendo se Sanctis, id est, suas conce-  
ptiones, & perturbationes ingerens, quas  
quia à sanctis meditationibus Scripturarū  
nouit



nouit impediri, nihil sic refugit, nihil sic impedire conatur. Ideo dicitur sonum tutelae odisse. Quae enim maior tutela contra omnia illius irruentia tela, quam studium verbi Dei? Hanc vero legem, quam in medio cordis mei habere cupio, & tanquam thesaurum custodire (quod Hebraei

*Nullus apex in Scriptura non thesaurum continet. Chryf. ho. 3. ad Roman.*

indicant) scrutari perpetuo desiderio. Est autem scrutari peruestigare assidue, & diligentissime, in qua nec vocula, nec apex, nec syllaba est, quae ingentem thesaurum non habeat. Vnde ait quidam Sanctorum, idem nobis in Scripturis sanctis faciendum, quod aurifusorum pueri faciunt, qui minuta etiam fragmenta curiosè cõquirunt.

*Conf. lib. 11. c. 2.*

O bone Iesu, quanto labore, quãto sudore, quanta perseuerantia de profundissimis terrae visceribus metalla, argentum, & aurum eruuntur? Quid in sacris literis faciendum nobis, in quibus diuitiae immortales, & vita ipsa nostra posita est? Quare S. Augustinus, qui id optimè norat, nolebat in aliud, quam in meditatione legis tuae defluere horas, quas inueniebat liberas à necessitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & seruitute, quam hominibus debebat. En quomodo expendendae horae. Nec mirum. Nouerat enim in Scripturis sanctis viam te posuisse salutis humanae ad eam vitam, quae post hanc mortem futura est.

*Et lib. 7. c. 7.*





116 Suscipe me secundum eloquium  
tuum, & viam.

QVI dixerat, susceptor meus es, cur  
orat, vt suscipiatur, nisi quia magis, <sup>Suscipi</sup> petit, vt  
magisque suscipi & indiget, & optat? <sup>imbecil-</sup> Sus-  
cipie, inquit, me tanquam labentem, & <sup>lus.</sup> in-  
nutantem, ne cadam: ne te subtrahas, sed  
suscipe me: cuius enim pedes stare pote-  
runt in infirmitate tanta, nisi te suscipiē-  
te, confirmante, tenente, & supra petram  
statuente?

Deinde suscipe solus omnipotens Me- <sup>Et, vt e-</sup>  
dicus infirmum, & susceptum tuum sana: <sup>ger.</sup>  
qui sanas contritos corde, & alligas con- <sup>Psal. 146.</sup>  
tritiones eorum. Quod vtique non pos-  
ses, nisi numerares multitudinem stella-  
rum, & omnibus eis nomina vocares.  
Nam infirmitates meae non corporis, sed  
cordis sunt, quas ipse solus medicus cura-  
re possis, qui & omnipotens es, & fecisti,  
ac refecisti me: & unguenta conficis suauitatis:  
nec deficient opera tua. O qualis  
infirmitas? qualis Medicus? quanta medi-  
camenta?

Et, vt  
Clicens.

Suscipe tanquam clientulum susceptum  
tuum. Nam nemo in causa tanta efficax  
potest esse patronus, nisi qui donas debita,  
nihil perdens. Patronus ex misericordia:  
ad misericordiam à iustitia prouocans,  
apud misericordiam causam meam agens.

Y Por-



Susceptio  
nis huius  
vita est  
fructus.

*Ambros.*

*Coloss. 3.*

Porro finis huius susceptionis est, ut vi-  
uam. Quomodo enim potest non in æter-  
num viuere, quem sempiterna vita susce-  
pit? quem totum sibi Christus assumpsit?  
qui totus Verbi est? cuius vita abscondita  
est in Christo Iesu? Viuam susceptus à te  
etiam in hac vita ob veram lætitiã, &  
elongationem à vitæ huius ærumnis? vi-  
uam in gratia, viuam in spe, viuam de te,  
cui solum agglutinator viuere possim.

*Act. 17.*

*Psal. 35.*

Promissio  
Dei erigit  
ad peten-  
dum.

*Ijai. 41.*

Alioqui nec vita hæc misera, vita est, nec  
viuere dicendus est, qui tibi non spirat,  
de te viuit, in te mouetur, & est. Viuam  
verius in alia, quæ verè vita est: quoniam  
apud te est fons vitæ. Inde hauriam sine  
defectu, sine satietate, sine fastidio. Su-  
scipe ergo me, & viuam. Sed intoleran-  
dæ præsumptionis videretur, dicere. Su-  
scipe me, nisi promissum tenerem secun-  
dum eloquium tuum, quo id promisisti.  
Suscepit te, inquis, dextera Iusti mei. Su-  
scipiam te ego Protector tuus. Vt hoc igitur  
postulare auderem ipse fecisti: tuo te  
chirographo conuenio, qui nostrum chi-  
rographum sustulisti. Nos fecimus chiro-  
graphum mortis, tu scripsisti chirogra-  
phum vitæ.

Non confundas me ab expectatione  
mea.

Ne sit fru-  
stra expe- **E**XPECTANS te viriliter agam, & su-  
stinebo te, quia spes non confundit.

Ex-



Expecto securus auxilium tuum, promissum tuum, faciem tuam. *Quæ enim est expectatio mea, nisi tu Domine, apud quem & substantia mea est? Expectatio mea vita æterna est. Non confundas me, non erubescere facias, tanquam expectatione frustratum. Sed quis verè speravit in te, & confusus est? Sed plus audeo. Tremens dico, sed audeo tamen. Ne confundaris ipse ab expectatione tua. Quid enim expectasti de me? an vt facerem vuas, & feci labruscas, & spinas? Aliud expectasti, & aliud inuenisti: fructus expectasti, spinas protulisti: ne confundaris ab expectatione tua. Ecce truncus iste Adam spinosus, non nisi spinas profert. Sed, si tu omnipotens infereris medullis meis spiritum tuum, proferam fructus vitæ, fructus tuos, fructus honoris, & honestatis. Inse te mihi medullitus, vt eos pariam. Inse vicissim me in te, & fient emissiones meæ malorum puniceorum: vel vt in hebræo, paradisi deliciarum. O Saluator, & susceptor meus, in hoc glorificaberis, quia potens, & suavis es.*

*statione-  
stra.  
Psal. 26.  
Rom. 5.  
Psal. 38.  
Neque  
frustra ex-  
pectatio  
Dei de no-  
bis.  
Isai. 50  
Cant. 4.*

117 Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.

**T**A N Q V A M responsum fuerit mihi in silentio, Si non vis confundi  
 Y 2 ab *August.*



ab expectatione tua, non intermittas meditari iustificationes meas, sentiens istam meditationem plerumque animæ languoribus impediri, compellor orare, adiua me: vt & saluus factus ex accepto beneficio non segnior, sed vigilantior fiam; & grato animo in tua lege, tuisque iustificationibus mediter, non frequenter, sed semper. Semper enim in illis superest, quod quærā: vbi & tua beneficia, & tua iussa, & tuam dulcedinem, & ex alloquio tuo nouam sapientiam hauriam.

118 Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum.

Peccatores nihil, & nugæ sunt.

Soph. 3.

Eccl. 1.  
Sperni à

IN græco, ad nihilum deduxisti. Tales omnino sunt, qui discedunt à lege tua, tales abs te æstimantur. Qui enim recedunt à lege, & mandatis tuis, à te discedunt: quos merito per Prophetam quisquilias, & nugas vocasti, dicens. Nugas, quia à lege recesserunt, congregabo. Discedunt autem non locorum spatijs, sed inobedientiæ elongatione, non vijs, sed vitijs. Nec subduntur maiestati, nec seruiunt benefactori, nec congruunt regulæ: superbi pariter, & cæci. Merito contempti, & despecti, & ad nihilum redacti, & pro nihilo habiti, quando vniuersa vanitas, qui non timet Deum, & eius mādāta nō seruat. Quo quid mi-



IN PSALM. CXVIII. 509

miserius dici, aut excogitari possit? Quid enim est sperni à te? Legō, & timeo. Cōfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Legō, & contremisco. Audiuit Dominus, & spreuit, & ad nihilum redexit valde Israel. Considero opera Dei, & deficit in me spiritus meus. Quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. O tortuosas vias filiorum Adam. Et recedunt à te, & superba deiectione, atque inquieta lassitudinē tutos se, & felices esse posse præsumunt. Quam verè iniusta dicitur cogitatio eorum, quæ tam foedè, tam iniquè, tam insipienter fallitur? Iniusta cogitatio, quia superbiunt: iniusta, quia rectitudinē non coaptantur, nec eorum vitæ voluntati respondet. Peruersæ enim cogitationes rectas non pariunt operationes: nec potest quisquam opere placere tibi, qui cogitatione non placet. Denique si peruersæ cogitationes à se separant, & omnes cogitationes eorum contaminatæ sunt, merito à te ad nihilum redacti, nihili reputantur.

Deo quātum malū  
Psal. 82.  
Psal. 77.  
Eccel 14.

¶ Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideò dilexi testimonia tua.

PRÆVARICANTES, & recedentes à Deo idem sunt, quod Hebræa vox sonat. Sanctus Hieronymus quasi explicans  
Peccatores scoria sunt.  
Y 3 quod



quod dictum est, Spreuisti, trāstulit, scoria  
am reputasti. Et reuera scoria, & nihil sūt,  
qui à Deo recedunt, & à lege eius præuar-  
ricantur. Cum contra de adhærentibus illi  
dictum sit. Nimis honorati sunt amici tui  
Deus. Et idem ipse contestetur, ac dicat.  
Quicumque glorificauerit me, glorificabo  
eum: qui autem contemnunt me erunt i-  
gnobiles. Quam miserum hoc, quā subli-  
me illud. Sed & ego inhærens tuis placitis  
Domine, tuoque exemplo, qui spreuisti  
eos, sine dubitatione præuaricantes illos, &  
nihil æstimauit.

*Psal. 138.*

*1. Reg. 2.*

Peccato-  
res terræ  
dicuntur  
primò, id  
est, Oēs,  
toto orbe  
&c.  
secundò,  
terræ affi-  
xi.

*Jer. 17.*

*Gen. 3.*

*Isai. 65.*

*Luc. 15.*

Et quoniam non priuata aliqua mea  
causa; non quod mihi molesti essent eos  
odiui, sed quia à te summa rectitudine re-  
cedunt: idè non hos, vel illos, sed omnes  
peccatores terræ, ybicunque tandem per  
vniuersam terrā dispersi sint, odio habui,  
& execror. Et alioqui meritò etiam pec-  
catores terræ uoco, quia recedentes à te in  
terra scribentur: & terræ affixi, terræ inhiā-  
tes, serpentino pane, id est, terra, & puluere  
yescuntur, cum serpenti dictum sit à te ma-  
ledicente, terram comedes. Et item Serpē-  
ti puluis panis eius. Quomodo enim su-  
pernis pascantur, & vitali tuo pane saturē-  
tur, qui à te recedunt in regionem longin-  
quam? Sed, quo eos impudentius legem  
tuam præuaricari, tanquam si vile quid ef-  
set, animaduerti, eo pretiosorem illam  
habui, magisque sum admiratus, & idè  
dilexi



dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas : à iudicijs enim tuis timui.

**C**V M legem tuam diligam , præuaricantes oderim , non tamen sine timore iudiciorum tuorum esse possum. Timeo enim à Iudicijs tuis.

Primò , à pœnis quas à te recedentibus paras. Paueo gehennam : paueo Iudicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco à dentibus bestiae infernalis , à ventre inferi , à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermẽ rodentem , & ignem torrentem , fumum , & vaporem , & sulphur , & spiritum procellarum. Hæc enim pars calicis eorum , qui à te recedunt. Quis mentis , aut sensus compos credendus est , qui ad hæc non contremiseat?

*Timentur primò pœnæ.  
Eccl. 51.*

Timeo secundò , à iudicijs tuis : quia oculi tui lucidiores Sole , qui inuestigant secretiora ventris , multa vident in me fœda ; quæ ipse non agnosco. Tenebræ , lippitudo , mei ipsius nimia vicinitas , & quasi superpositum obiectum impediunt me. Timeo , ne quid in abyfso cordis mei lateat , quod me lateat , & tibi displiceat.

*Bern. ser. 16. in Cantic  
Psal 10.  
Secundò , occulta peccata.  
Eccl. 23.*

Timeo tertio , à iudicijs tuis , ne quando iustissime manum tuã ab auxilio serui tui retrahas , & cadam. Quis enim stabit nisi titubãti , & corruenti fulmenta manus tuæ

*Tertio , ne Deus deserat.*



*S. Leo ser.*  
*7. de Epi.*

singulari clementia supponas. Audio denuntiantem vnum è Doctoribus tuis. Et hæc sanctis causa est tremendi, atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deferantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Vidimus Cedros Libani

*Psal. 35.*

prostratas: vidimus expeditè, velociterque currentes impegisse, & corruisse. Iudicia tua abyssus multa. Superbia, ingratitude,

*Psal. 118.*

tepor inuenta sunt in me. An hæc non iustissimè manum tuam retrahunt? Sed miserere mei secundum iudicium diligētium nomen tuum. Discam non superbè sapere; discam humiliter sentire; sed pietate magistra, non pœna. Nam quæ formidolosa magis pœna, quam si subtracta manu sinas me à te labi? Auertat hoc misericordia tua. Quod vt constanter fiat, confige timore tuo carnes meas.

Petitur timor castus.

Timui quidem quæ dixi, & tamen timorem efflagito, sed cum, qui configat carnes meas, timorem castum, quem caritas non mittit foras: timorem, quem amor non expellit, sed fouet, sed nutrit, sed auget. Ad mensuram quippe amoris hic timor crescit, qui non timet pœnam sed oculos Dilecti veretur offendere. Hic timor, ait Spiritus tuus, gloria, & gloriatio, & fiducia exultationis. Hic verè, & solus non quouis modo, sed clauis configit carnes.

*Eccl. 1.*

*August.*

Quia amore iustitiæ peccatum ipsum deputat pœnam; & vniuersas carnales concupi-



cupiscentias affigit Cruci, vt dicere possimus Christo confixus sum Cruci: dum nō solum carnalibus vitijs, verum etiam ipsis elementis mundi huius mortuos non esse probamus, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momētis singulis migraturos. Quis enim ita carnalibus sensibus mortuus est, verè carnem suam crucifixit, vt concupiscentias clavis comprimat, & spiritualium bonorū delectatione vsque ad perfectionem crescente victoria carnem perimat. Quomodo enim luxuria sentiatur, vt ait Bernardus, vbi nec vita ipsa sentitur, vtpote à sublimioribus absorpta?

Cass. Inst.  
l. 4. c. 35.

¶ Ain, id est, Fons, vel oculus.

*Octonarius XVI.*

121 **F**Eci iudicium, & iustitiam: nō tradas me calumniantibus me.

122 Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiæ tuæ.

124 Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam.

Y s seri-



sericordiam tuam : & iustificationes tuas doce me.

125 Seruus tuus sum ego : da mihi intellectum , vt sciam testimonia tua.

126 Tempus faciendi Domine : dissipauerunt legem tuam.

127 Ideò dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

128 Propterea ad omnia madata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

129 Feci iudicium, & iustitiam : non tradas me calumniantibus me.

**E**T quoniam nemini nocui, neminem oppressi, sed iuste iudicium, & iustitiam feci, reddens vnicuique quod debebam; atque opere ipso, quod rectum esse ostendebas, ex animo adimplens: iure postulo vicissim, non tradas me calumniantibus, vel aduersarijs meis. Sed quia erga alios iudicium, & iustitiam facere non praualet, qui ante in semetipso ea non prastitit, feci in me, de me, contra me iudicium, vt ad tribunal mentis meae omnes non solum actus, sed & cogitationes accerferem: ibique ratione praeside, conscientia

Faciendū  
iudicium  
contra se  
ipsam.



IN PSAL. CXVIII. 55

scientia accusatrice scrutarer minutissima  
 quaeque cordis mei in lucernis: scoparem,  
 imò lauarem spiritum meum: & in tua  
 luce seuerè iudicarem: & quo meam agri-  
 tudinem tuae munditiæ contemperari nō  
 posse cognoscerem (quod vnum superest)  
 flere dulce haberem, teque deprecari, vt  
 etiam, atque etiam misereris, donec exuā  
 totam miseriam. Quis enim ad purum  
 discernere valeat, & liqui de iudicare, quæ  
 intra se sunt, nisi te intus prælucente, &  
 fortem custodiam simul cum lumine ex-  
 hibente? Terret me Isboseth filius confu-  
 sionis, qui percussus in inguine mortuus  
 est, quod ostiaria domus triticum purgans  
 obdormisset. Proinde muni Domine viri-  
 li custodia mētem meam. Ipse ostiarium  
 non ostiariam constitue. Vigilare doce, ne  
 obdormiscat: fortis namque, virilisque  
 sensus præponi cordis foribus debet, quem  
 nec negligentiae somnus opprimat, nec  
 ignorantiae error fallat.

2. Reg. 4.

Feci & iustitiam puniens in me, quæ ti-  
 bi displicent. Oro quidem, vt calumnia-  
 toribus, & oppressoribus meis non tradar:  
 sed ijs maximè, qui vehementius, & ca-  
 lumniantur, & opprimunt, id est, inuisibi-  
 libus inimicis, quos & à calumniandi prin-  
 cipatu Zabulos, ac Diabulos nominamus.  
 Est autem tanta infirmitas mea, tanta im-  
 potentia resistendi (neque enim est mihi  
 colluctatio aduersus carnem, & sanguinē)

Calūnia-  
 tor praci-  
 pue Dia-  
 bolus.

Ephes. 6.

Y 6 vt



*Psalm. 71.* vt eo ipso, quo me non protegis, non affi-  
 duè cruus, quasi tradere videaris. Quæ est  
 autem spes mea nisi tu, qui liberas paupe-  
 rem à potente, & pauperem, cui non erat  
 adiutor qui saluos facis filios pauperum, &  
 humilias calumniatorem. Tanto autem  
 vehementius pro hac liberatione mihi o-  
 randum est, quanto & hostis potentior, &  
 implacabilior est: & non in terrenis, sed in  
 cælestibus, & pro cælestibus pugna est.

122 Suscipe seruum tuum in bonum, nō  
 calumnientur me superbi.

**H**EBRAICÆ, sponde pro seruo tuo, vel  
 in tuam fidem, & protectionem tuam  
 recipe: vel dulcesce, & suavis esto seruo tuo.  
 Hæc enim omnia verbum idem significa-  
 re potest: quo quid amabilius exprimi po-  
 tuit? Quanta bonitas, vt pro seruo talis  
 Dominus spondeat? Quam felix, & firma  
 sponso, quæ Dei diuitijs, Dei innititur  
 Maestate? Quid tutius, quid sublimius,  
 quam vt Dominus ipse super omnia ex-  
 celsus, & omnia continens, omnia im-  
 plens, omnia portans, in suam seruulum  
 protectionem, fidemque suscipiat? Pretio-  
 sa hæc seruitus, quæ virtutum constat ex-  
 pensis. Has enim impensas seruis tuis,  
 quos in tuam suscipis fidem, liberalissimè  
 subministras.

*Seruitus  
 Dei quam  
 suavis.*

*De Amb.*

In hoc autem verbo vno, Dulcesce, &  
 suavis



suavis esto seruo tuo in bonum, quam magna multitudo suauitatis, & dulcedinis latet? Quid est dulcesce seruo, nisi seruum non vt seruum, sed plusquam filium tracta? Et, da mihi palatum, cui præ omnibus ipse dulcescas? Es quidem tu, Deus meus, ipsa suauitas, sed non omnibus idem sapis. At, si susceperis seruum tuum in bonum sub tua spõsione, protectione, & dulcedine, timendum mihi non erit, ne calūnientur mihi superbi, quia à facie tua dissipabuntur: &, sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic defluent, & confundentur.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

**D**EFECE RVNT expectatione, defecerunt desiderio, defecerunt suspensione in te, defecerunt attentissima defixione, defecerunt præ lachrymis. Siquidem non solum ad te, iuxta verbum B. Iob, stillat oculus meus siue loquens assidue, siue lacrymas vtcunque fundens, sed etiã iuxta Ieremiam, diuisiones aquarum deducens. Nam expectatio languere eos facit, desiderium cruciat, defixio à ceteris omnibus abducit, & abstrahit: suspensio ad ima deflectere non permittit: lacrymæ non solum purgant, & exacuūt, sed etiam totam ani-

Defectio  
ex multis  
causis.  
Iob 16.

Thren. 3.



*Psal.* 41. mam rigant: quæ & ipsa dormitauerit, vel iuxta aliam translationem stillauerit præ affectu. Vnde lacrymæ siue in die prosperitatis, siue in nocte aduersitatis; aut in die consolationis, & lucis tuæ, vel in nocte desolationis, & subtractionis gratiæ, fuerunt mihi panes die, ac nocte.

**Salutare dicitur Saluator.** Deficiunt verò in salutare tuum, id est, Christum Dominum, quem Pater noster

*Gen.* 49. *Psal.* 84. Iacob oculis caligans corporeis, spirituali visu acatissimus optabat, dicens. Salutare tuum expectabo Domine. Quem postulabamus clamantes. Salutare tuum da nobis: & læti præ certitudine cantauimus.

*Psal.* 97. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et Isaias lætabundus. Dicite filiæ

*Isai.* 62. Sion, Ecce Saluator (vel Iesus) tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.

**Et Salus.** Sed & salutare, id est, salutem abs te desiderantes oculi deficiunt: quam ad tempus differs, vt desiderium acuens, & extendens largius effundas, atque vberiore sinu capaciore suscipiam.

**Salutare vultus mei, quis fit.** Salutare autem tuum siue hoc, siue illo modo accipiatur (quippe & hoc ab illo est) salutare dicitur vultus mei, salus faciei meæ. Nam semper mihi presentissima est, coram me est, vbi que præsto est. Et vicissim ego semper illam intueor, & contemplor. Et salus faciei est, quam non confundit, aut erubescere facit, imo illam  
miro



miro modo sua luce, suo aspectu, & suauitate exhilarat, & mulcet. Quare ergo tristis es anima mea, & quare conturbas me? *Psal. 41.*  
 Nunquid non est, quod respondeas dicentibus, ubi est Deus tuus? Salutare vultus tui est adhuc in peregrinatione: sed veniet tandem Deus tuus, de quo tibi dicitur, ubi est? & absterget lacrymas tuas: pro pane lacrymarum ipse succedet, & te in aeternum saginabit. *August.*

Et in eloquium iustitiae tuae. Expectaui cum desiderio, & fiducia salutem non fallaci tuae promissioni innixus. Promisisti enim non debens, promisisti ex gratia, sed iam sponsionis, & promissionis tuae chirographum tenens, eloquium iustitiae voco, quia tibi ipsi debes. Fidelis quippe es in omnibus verbis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. *Psal. 114.*

124. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: & iustificationes tuas doce me.

**P**OTENTIAM tuam, qua mundum ex nihilo, solo verbo creasti, adoramus & colimus. Sapientiam, qua disponis omnia, & vnumquodque ad terminum suum ducis, admiramur, & praedicamus; sed misericordia miseris sapit dulcius: misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crebrius inuocamus. An insana fiducia *Misericordia miseris necessaria.*



*Iob 9.*

cia petendum mihi est, vt intres in iudiciū cum seruo tuo? Et quis poterit tibi respondere vnum pro mille? Ad misericordiam confugio, qui toties oculum, quem secreta cordium latere non possunt, miserabiliter offendi: & si quid boni feci, plura debeo.

*Psal. 30.*

Quis tanta naturæ munera, quis liberationem à malis, quis gratuita, & celestia dona, quis vitæ, salutisque seruata diuina beneficia digno possit æquare seruitio? Misericordia, misericordia, inquam, tua præueniat me: & misericordia tua subsequatur me: quoniam respexisti non iustitiam, sed humilitatem, vel depressionem, ac vilitatem meam: saluasti de necessitatibus animam meam: nec conclusisti me in manibus inimici, imò statuisti in loco spatio-  
so pedes meos, educens me in latitudinem, & saluum me faciens, non quia merui, sed quoniam voluisti me.

*Ecc. 30.*

Doce me iustificationes tuas, vt agnoscam, quia in ipsis viuificatus sum. Nam & hoc ipsum misericordiæ est, vt eas me doceas. Et vicissim, si legibus tuis, & iustificationibus te quidem doctore, adhæsero, & misericordiam consequar, & misericordiam impendam, primum animæ meæ miserens, dum placeo tibi, deinde & proximis propter te misericors. Tu verò promisisti misericordibus misericordiam, qui dixisti. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

*Matt. 5.*



125 Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

**Q**ui peccati in mala libertate seruus fui, iam seruus tuus sum: vt habeam fructum meum in sanctificatione: vt morti fructificare desinens, habeam vitam. Scio quia seruis non manet in domo in æternū. Sed itē scio, quia qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi: & si me liberaueris, verē liber ero. Non enim accepi spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamem Abba pater: & à seruitute corruptionis, cum tempus aduenerit, te donante, liberer. Interim verò præclara est seruitus, quæ non modo liberum, sed etiam Regem facit. Restitue me nobilissimæ seruituti tuæ, vt tota vita mea, tota conuersatio mea solum sit seruitium tuum. Totum me recupera: totum me vendica tibi, & posside solus, sicut totus tuus sum iure plenissimo, ac singularissimo. Seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, seruus creatione, seruus conditione, seruus emptione, seruus proposito, & voto. Fac vt tibi soli seruiam, tui me debere recolo, & originem & profectum. Qualis, quam exacta, quam sincera deberet esse seruitus, quæ Domino

*Seruus Dei liber est.*

*Rom. 6.*

*Rom. 7.*

*1. Cor. 7.*

*Rom. 8.*

*Psal. 115.*

*Qualis debeat seruitus Deo.*

*talis*



tali exhibetur, quæ tot titulis, tot nominibus fulcitur.

*Semper à Deo lux postulanda.*

Vt autem sine intromissione tibi seruire possim, & ita, vt seruitus mea placeat tibi, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Intellectum dari postulo, & lumen, quo tua testimonia, tuas leges planè cognoscam: vt ad eas dirigere omnia possim obsequia mea. Alioquin offundantur tenebræ, cœcutit oculus. At lex tua lux est: quam etsi me intelligere, in eaque meditari professus sum, semper tamen id mihi petendum intelligo. Nunquam intermitenda est ista petitio. Non enim sufficit accepisse intellectum, & Dei testimonia didicisse, nisi idē semper accipiatur, & quodam modo semper bibat de fonte lucis æternæ. Testimonia quippe tua, quanto fit quisque intelligentior, tanto magis sciuntur.

*August.*

126 Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.

*Tempus faciendi, primò nobis parendo. Secundò, Deo dando gratiã.*

**E**T mihi quidem tempus faciendi esset: primò, legem tuam studiosè seruandi: quia quo magis illam dissipari à præuicatoribus cerno, eo mihi in illam studiosius incumbendum. Sed tempus faciendi non tam mihi, quam tibi Domine. Tēpus tibi faciendi iam, non iubendi. Lex enim quæ carnales inuenit, & venundatos sub

pec-



peccato iubere potuit, facere non potuit: morbum indicare potuit, sed non expellere; concupiscentiam ostendere, non compescere. Venit iam tempus faciendi, ut ipse perficias in nobis, quod iubes. Da quod iubes, & iube quod vis. Sanet gratia Mediatoris, quos lex premit. Brachia infirma, & quasi lac coagulata ponat, ut areum areum: ut audiamus hominem gloriantem. Cum infirmor, tunc fortior sum. Et rursus. Omnia possum in eo, qui me confortat.

*Aug. Cōf.*

*l. 10. c. 2.*

*Psal. 17.*

*2. Cor. 12.*

*Philip. 4.*

Tertio,  
purgandi  
mundi.

*Gen. 7.*

Quoniam & alio modo tempus faciendi tibi est, id est, mundi iam sceleribus contaminati, & exacrabilis purgationem faciendi. At qualis purgatio? Non, ut in generali diluio, impios à terra perdendo, quando & scelera, & sceleribus abominabiles è mundo sustulisti, sed nouo sanctificationis modo: diluio passionum in carnē Mediatoris fluentibus cataractis emisso, sanctificans, & purgans mundum, de peccatoribus iustos, de incontinentibus castos, de renacibus liberales, de feris mansuetos, de nigris lucidos, de mortuis viuos faciens. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua? laudent te miserationes tuæ, quæ tibi de medullis meis confitentur. Ecce cum abundaret orbis abominationibus, cum te homines non agnoscerent, cum sacrilegis nidoribus aer inficeretur, tempus tibi faciendi fuit, & faciendi misericordiam.

*Psal. 144.*

127 Ideo



127 Ideò dilexi testimonia tua super  
aurum & topazion.

Summum  
legis di-  
uinae pre-  
tium.

Job 28.

Psal. 2.

QVID aurum, quid ophir, id est pu-  
rissimum aurum, quid topazius, quid  
pretiosa omnia ad mandata tua? Nonne  
ipsa est sapientia, de qua dicitur. Non da-  
bitur aurum obrizum pro ea, nec appen-  
detur argentum in commutatione eius:  
non conferetur tinctis Indię coloribus, nec  
lapidi Sardónico pretiosissimo, vel Sap-  
phiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vi-  
trum, nec commutabuntur pro ea vasa au-  
ri. Excelsa, & eminentia non memorabū-  
tur comparatione eius. Non adæquabitur  
ei Topazius de Aethiopia, nec tincturæ  
mundissimæ componetur? Quid ergo ma-  
gnum, si super aurum electum, & Topaziū  
mandata Dei dilexit? Sed utique illa po-  
suit, quæ hominum error facit, aut magis  
æstimat pretiosa. Nam & alibi dicitur.  
Quantum distat ortus ab occidente longè  
fecit à nobis iniquitates nostras, non quod  
non longè incomparabilior sit distantia  
gratiæ à peccato, sed quia in rebus visibi-  
libus nulla maior apparet distantia, quam  
ab oriente ad occidentem. Ita & hic: quo-  
niam apud homines ea sunt in admira-  
tione, ostendit se longè transcendisse hu-  
manas phantasias: ac legem Dei, quæ in-  
finitus thesaurus est, se omnibus, quæ  
hu-



humanitus desiderari possunt, prætulisse. *Cetera*  
 Et merito. Hæc enim animū non replent, *inania.*  
 sed occupant: nec ad animam, vbi interior  
 satietas quærenda, & inuenienda est, per-  
 tingunt. Sua autem pernicitate eunt, quo  
 eunt, & conscindunt animam desiderijs  
 pestilentiosis. Non enim vel ad momen-  
 tum stant, sed fluunt, & rapiunt amantes  
 suo impetu ad amaritudinem turbulentis-  
 simæ falsuginis. At contra, mandata Dei *Heb. 4<sup>o</sup>*  
 stabiliunt animam, & replent: & quia vs-  
 que ad diuisionem animæ, ac spiritus pe-  
 netrant, ibi pascunt, ibi nutriunt, ibi sa-  
 tiant, vbi fames est. Felix anima, quæ mā-  
 data diligit. Nam dilectio onus tollit, gu-  
 stum reddit, palatum renouat: ad internam  
 experientiam, & satietatem ducit.

128 Propterea ad omnia mandata tua  
 dirigebar, omnem viam iniquam  
 odio habui.

**B**Is est omnia, in Hebræo, vt ostendatur *Dirigebar*  
 emphasis. Ad omnia, ad omnia, in- *primo,*  
 quam, mandata tua, non ad vnum, aut al- *curfu ad*  
 terum, non ad facilia tantum, & quæ dele- *ca.*  
 ctant, sed ad omnia etiam aspera, & ardua:  
 ad omnia, inquam, dirigebar: id est, recto,  
 & facili cursu ferebar. Amor enim ducit,  
 & portat. Dirigebar quoque rectissima *Secundò,*  
 existimans. Nihil enim in tua lege inue- *rectissima*  
 nire potui, quod non rectissimum, atque *iudicans,*  
 æquis-



Tertio,  
ad ea me  
frangens.

equissimū iudicarem. Dirigebar etiam ad mandata tua omnia, me ipsum ad ea quasi ad normam dirigens, & complanans. Cūque ipsa rectissima sint, ego curius, non illa ad meam curuitatem inclinare iuxta voluptates, & voluntates meas conatus sū, sed me ad illorum normam, ac rectitudinem dirigere. Quam infelix anima, quæ non prauitatem suam ad tuam accommodare, & inclinare rectitudinem, sed vano sensu, stultoque labore regulam, qua rectificanda est, curuare nititur?

Quarto,  
pro scopo  
intuens.

Quin etiam dirigebar ad mandata tua, tanquam ad scopum omnes cogitationes cordis mei, illuc studens collimare, vbi & scopus, sanctificatio; & fructus vita æterna est.

Quinto,  
tanquam  
brauium  
appetens.

Dirigebar etiam ad omnia mandata quasi prospero cursu, & victrici pugna illa exequendo, & perficiendo obtinens. Quomodo & salus dicitur directa in manu quorundam: & Iacob cum Angelo luctans, directus dicitur cum Angelo, id est, prosperè luctatus. Cum enim non fiat sine pugna obseruatio mandatorum tuorum, quippe carne, & hostibus reluctantibus, rectè qui te adiutore in hac obseruatione victor euadit, directus dicitur; cum præsertim & ipse prosper euentus tuæ directioni tribuendus sit. His itaque modis omnibus ad omnia, proxsus ad omnia mandata tua dirigebar.

Vnde



Vnde & consequenter factum est, vt, qui ad mandata tua omnia dirigitur, omnem viam iniquitatis odio habeat. Non enim possunt hæc duo simul esse, vt & rectitudinem voluntatis, & mandatorum tuorum diligam, & non ex animo omnem viam iniquitatis, id est, tortuositatem execrer, & implacabili odio persequar. Nam sicut aurum, & lapidem pretiosum si diligerem, odissem profectò quicquid mihi talium rerum damnum posset inferre: ita, quoniã tua mandata diligebam, iniquitatis viam odio habui: & quemadmodum aliquod immanissimum marini itineris saxum declinaui, vbi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod vt non contingat, longè inde velificat, qui in ligno Crucis cum mandatorum diuinorum mercibus nauigat.

Qui ad  
mandata  
dirigitur,  
odit viam  
iniquita-  
tis.

☐ Phe, id est, Os.

*Octonarius XVII.*

129 **M**irabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

131 Os



131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132 Aspice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

133 Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.

134 Redime me à calumnijs hominum: ut custodiam mandata tua.

135 Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

129 Mirabilia testimonia tua: ideò scrutata est ea anima mea.

Mirabilis Dei lex. **V**Ox Hebræa מִאֲרִיכָא si scribatur Pelaper Aleph significat excelsum, arduum, & quod humana cognitione difficile apprehendi potest. Si autem per He significat segregatum, & pro excellentia separatum. Sic solent occulta, & magna à cognitione esse diuisa: & hoc modo testimonia, & præcepta Dei mirabilia sunt: utpote, quæ per celsitudinem difficile attingantur, & per



per excellentiam, atque perfectionem ab inferioribus separata sint.

Sunt autem mirabilia, qui continent Primò, magna, docent mira, præcipiunt sublimia, propter promittūt excelsa mirabilia, quia pulcher- res, quas rima: & cum ardua præcipiant, facilia, & continet. suauius ex gratia fiunt.

Deinde mirabilia sunt, si consideretur Secundò, legis autor Deus, qui mirabilis est, & dicitur. Si enim Angelus cum vix gutta quædam diuinæ admirabilitatis sit, Minæ Gedeonis patri loquens dixit. Quid quæris nomē meum, quod est Admirabile? quanto admirabilior erit ipseus Angeli factor? de quo meritò canitur. Domine Dominus Psal. 8. noster, quam admirabile est nomen tuum Cap. 9. in vniuersa terra! Et Isaias cū Emmanuelis nostri paruuli magnifica describeret nomina, primum posuit Admirabilis.

Tertiò, mirabilia sunt, si consideremus Tertio, cui data sunt, nimirum homini, quod cum propter animal sit ex carne compositum, & mente eum, cui data. plane mirabili nexu, excellentissimum propter spiritum, infirmissimum propter carnem, cælum petens, & in terra repens, passionibus scatens, quibus cum brutis cōuenit, & mentis sublimitate paulò minus minoratus ab Angelis, admiranda omnino præcepta illi tradenda fuerunt, per quæ fragilitatem contineret, domaret ferociam, & ad cælestia migraturum, apta œconomia dirigeretur. Quid enim mirabi-

Z rabi-



*Iob 31.*

rabilius quam ex carne & luto fictum ita efformare, eoque perducere, ut ne cogitet quidem de virgine? diuitiarum cupiditatem excidens non solum eas, ut fumū, ymbraque vanam spernat, sed, si affluat,

*Psal. 61.*

doceatur cor non apponere? seculi potestatem cælo ipso excellior pro nihilo ducat? Denique in carne uiuat Angelus? & ut ait S. Cyprianus, adhuc in seculo degens vita uiuat non huius seculi, sed futuri?

*Quartò,*  
quia dat  
lucem, &  
vires.

Quartò, quod alijs legibus datum non est, & lucem præstant, & vires. Reliquorum legislatorum præcepta, etsi suo modo docent, non tamen intus lucem præbent. Hæc præbent, imò & intus vires, & alacritatem exhibent: ut cetera omnia Philosophorum dogmata ijs comparans B. Hieronymus, de illis asserat. Totum flaccidum, marcidumque ebullit in olea. Deinde, quia præcepta hæc ducunt

*Quintò,*  
qui ada  
cælū per-  
ducit.

non quocunque, non ad euanidam sapientiam, sed ad perfectam lucem, patriamque cælestem. Postremò & illud mirabilia hæc testimonia ostendit, quod eadem verba multiplici luce rutilant, seu spectes literalem sensum, siue tropologicum, & moralem, siue mysticum, siue eum, qui suo nomine anagogici eleuationem ad superiora profitetur. Ut mihi quidem videri interdum soleat verbum Dei esse pretiosissima quædam gemma sic efformata, atque elaborata, ut pro

*Sextò,*  
propter  
multipli-  
cem sen-  
sum.

va-



varietate suscepti luminis pulcherrimas  
semper quidem, sed varias species repræ-  
sentet. Quamquam quid opus est gemmas  
adducere, cum habeamus in Scripturis,  
cui hæc verba comparemus? Vide ar-  
cum, ait Sapiens, & benedic eum, qui fe- *Ecc. 43.*  
cit illum: valde speciosus est in splendore  
suo, gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ:  
manus excelsi aperuerunt illum. Sicut  
enim ex splendore radiorum Solis pul-  
cherrimos Iris trahit colores, ita multo  
splendidiores trahunt verba Dei. Nec for-  
tasse alienum à proposito est, quod quon-  
dam apud Plutarchum memini me legis- *Sympos. 4.*  
se. Afferit enim ex illa reflexione radiorū *q. 2.*  
rosidam illam nubem proprietatem quã-  
dam contrahere, vt, vbi aspersa fuerit, mi-  
rum pariat odorẽ; quare Sacerdotes quos-  
dam Gentilium solitos ligna illa in sacri-  
ficijs incendere, quæ ex huius roris resper-  
sione odoratissima fiebant. Quid mirum  
igitur, cum testimonia Dei adeo admira-  
bilia sint, & res admirabiles rapere ad se  
hominum mentes soleant, si ea Rex san-  
ctus sine vlla satietate scrutabatur, & scru-  
tatione perfecta, quæ etiam opus ample-  
cteretur?

130 Declaratio sermonũ tuorũ illumi-  
nat: & intellectum dat paruulis.

**H**EBRAEVS, apertio, vel porta sermo-  
rum tuorum illuminat: significatissi-  
me

Z 2



mè omnino, quasi in ipsa apertione portæ illuminetur intelligens: ac si dicas, à primo gustu, ab ipso limine, vel à literalis sensu. Hæc videlicet est verè porta oriëntalis iuxta Ezechiel. vnde lumen ingreditur.

**c. 10.**  
Scripturæ  
quasi gut-  
tæ diuina  
lucis.

**c. 4. de di-  
nomi.**

Illuminant autem, quia Scriptura, & verba Dei sunt veluti guttæ quædam ex fonte immensi luminis, scilicet Dei, qui à Dionysio vocatur ἀκτὴς πηγῆς, καὶ ὑπερ-βλύξασα φωτοχυσία. id est, fontalis lux, & supereffluens luminis effusio: ex cuius plenitudine illuminari asserit omnem intellectum, scilicet supermundanum, hoc est, ut opinor, cælestes Angelos assistentes; circummundanum scilicet Angelos, per quos hæc inferiora administrantur, & intramundanum, id est, intellectum hominis, qui in

**Orat. 40.**  
in sac. ba-  
ptisma.

**Ex Plato-  
ne.**

mundo est. Sed & B. Gregorius Nazianzenus tria lumina ponit, primū, à quo omnia deriuantur, Deum ipsum, summum, & inaccessible lumen, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturar: omnem ratione præditam illuminās, hoc in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus: eo se magis contemplandum nobis præbens, quo accuratius animos purgauerimus: eo rursus magis amādum, quo magis contemplati fuerimus: eo denique magis cognoscendum, quo magis amauerimus. Secundum lumen Angelum ponit, qui est primi illius luminis riuulus quidā, aut participatio inclinatione, vel conuersione



sione ad illud. Tertium denique hominē, quod externis etiam, id est, Philosophis non Christianis manifestum est, à quibus  $\phi\omega$ , id est, lumen vocatur propter rationis insitæ vim, & facultatem. Quò etiam nomine, inquit, ij inter nos appellantur, qui diuina quadam virtute alios antecellunt, propiusque ad Deum accedunt. Et, quod nostro proposito maximè fauet, addit. Lumen quoque erat primogenitū illud mandatū, quod primo homini datum est, quæadmodum legis mandatū lucerna, & lumen est: & rursus. Lumen præcepta tua in terra. Tum multa pergit lumina enumerare. Sed nobis id satis est intelligere, mandata Dei & declarationem illorum merito lumē appellari, tum quia à primo illo lumine veluti stillæ quædam emanant, tum quia lumen tertium, id est, hominem verè lumen efficiunt, cum de superioribus illustrant, & primo lumini propiorē efficiunt.

Dant autem intellectum non omnibus, sed paruulis, id est humilibus. Non enim verba Dei superbos illuminant: vnde S. Augustinus fatetur se initio minus illuminatum, quod Scripturas sanctas magis vellet redolere gymnasiōrum Cedros, quas confringit Dominus, id est, elegantiam secularē. Alioquin superbia, vt idem ad Dioscorum ait, dum inflat, obnubilat. Et Christus Dominus exultans in spiritu Patri gratias egit, quod abscondisset hæc à sapientibus

Psal. 118.

Dant intellectum paruulis humilitate.

Conf. l. 9.

c. 4.

Psal 28.

Matt. 11.



Atq; etiā  
paruulis  
sensu.  
Proa. 1.  
c. 9.  
1. Cor. 3.

bus, & prudentibus, & reuelasset ea paruulis. Si autem paruuli accipiantur non tam malitia, quam sensu, de quibus dicitur. Vt quequo paruuli diligitis infantiam: & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? & Si quis est paruulus veniat ad me: etiam sic verum est cælestem doctrinam dare intellectum paruulis. Nam qui erant antea insipientes, & stulti, quales etiam sapientia huius mundi facit, quæ stultitia est apud Deum, ipsi per sermones Dei, de insipientibus, ac cæcis sapientes, & illuminati fiunt: quomodo Propheta noster supra gloriatus est, quod super senes, & super omnes docentes se intellexerit, quia mandata Dei, & testimonia illius quæserit.

131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

Aperitur  
os præ de-  
siderio.  
Iob 29.  
Ed ad re-  
spirandū.

**P**O T E S T intelligi aperire os præ nimio desiderio, sicut qui ad aliquid anhelat: quomodo Iob de adstantibus sibi refert, quod ad verba ipsius os suum aperiebant quasi ad imbrem ferotinum. Significat enim anhelare, hiare, ut est Iob septimo. Sicut seruus desiderat umbram, in Hebræo, anhelat. Vel certè cum repente cor præ desiderio, aut tristitia constringitur, os aperitur, ut medici notant: seu cum re-  
spira-



spiramus, ac nouum aerem attrahimus: quo in officio S. Nazianzenus aerem ad respirationem, quæ ad eò necessaria est, paterio dicit officio fungi. Duo autem facit respiratio Galeno teste de usu partium.

Cum enim in animali respiratio fiat propter summum cordis calorem, expiratione quod feruet, & quasi combustum est, ex ipso corde extruditur; per inspirationem verò nouo, ac frigido adducto aere refrigeratur. Ita & cor nostrum spirituale perpetua indiget extrusione, vt, quæ suffocare possent, diligentissimè extrudantur; & perpetua inspiratione, vt attrahendo, quæ recreare, & refrigerare possunt, cuiusmodi sunt diuinus spiritus, ac memoria mandatorum Dei, qua viuificatur anima, vt ait sanctus Ambrosius, sine intermissione viuificemur. Os ergo aperiendum est Deo, tum vt nostro desiderio, & perpetuæ anhelationi satisfaciamus, tum vt auram vitalem hauriamus, sine qua spiritualis suffocatio, atque extincto illico sequitur. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.

Quapropter nec tam frequenter respirare debemus, vt ait Nazianzenus, quam Dei meminisse. Et sponsa Christi, inquit S. Ambros. os suum sponso aperuit, & percepit omni melle dulciora præcepta, & ideo testata est dicens. Fauces eius dulcedines, & totus desiderium: sic enim refert, quod in vulgata legimus, Guttur eius suauissimum.

Z 4      mum.

Respiratio spiritualis quæ sit.

Act. 17.

Ora. 1. de Theol.

Cant. 5.







uertat, quod cum miseria conspecta vim habeat ad cor permouendum, ita se miserū conspecturus sit, ut pro sua pietate sit pariter miseraturus. Quid autem aspectus Dei, & oculorum eius directio faciat, dictum est alibi: iuxta quod scriptum est. Oculi Domini super iustos, & iterum. Firmabo super te oculos meos. Sed, quod ait. Miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum, intelligi potest primò, Misericordiam mihi exhibe, ut consueuisti (hoc est enim secundum iudicium) cum iis, qui diligunt nomen tuum. Cum enim affluenter misericordiam praestes etiam iis, qui te non diligunt, quos de auersis conuersos, & de non diligentibus diligentes fecisti, quæ maxima est misericordia: quis iam ambigere de tua misericordia possit, qui te diligit? Hos enim ut filios amplecteris: & misereris illorum magis, quam mater. Sed, quoniam est & quædam misericordia, quam Sãcti nullo modo aut cupiunt, aut petunt, potest intelligi quasi declarando addidisse eam se misericordiã perere, quam diligentibus se solet paternè, affatimque largiri. Misericordia autem quam nolunt, illa est, quam Deus inimicis impendit iratus, dum abstinere à flagellis, & correctione, quibus erudiri possent, & ad meliõra proficere. Vnde alicubi ait. Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. Qua de re sanctus Bernardus.

*Psal. 33.*

*Psal. 31.*

*Ibid.*

*Secundum iudicium, id est, uti soles.*

*Timenda irati Dei misericordia.*

*Isai. 26.*

*In Cant.*

*ser. 42.*

Z 5;      nardus.



nardus. Misericordiam hanc, inquit, ego nolo: super omnem iram miseratio; ista, sapiens mihi vias iustitiæ: & infra. Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis deuium, non qua extrudis de via: illud tua nobis benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maximè confido propitium. Quo sensu accipit hic Sanctus, quod dicitur in psalmo. Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinventiones eorum. Vocat quippe propitiationem, quod eorum Deus non percipit excessibus. Sed nec eam misericordiã optat Hieremias, qui vbi nos habemus. Nō sis tu mihi formidini, apud Septuaginta sic habet. Non sis mihi in alienationem parcens. Quod græcè est *φειδόμενος*. quod propriè significat parcere, atque cum magna cautela, & dexteritate contingere, quod in vasis vitreis, & facillimè fragilibus fieri solet. Petit ergo non ita se tractari, nec quasi parcè, & cautè contingi: denique flagellis non subtrahi, sed erudiri. Hæc est enim misericordia, quam diligentibus se Dominus prestare solet.

*Psal. 98.*

*Cap. 6.*

333 Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.

**H**ÆC est misericordia, quam enixè petit, vt dirigat Dominus omnes gressus



sus suos, & disponat affectus secundum re-  
 ctissimam regulam legis suæ, vt non do-  
 minetur ei omnis iniustitia. Vides elo-  
 quium Dei dirigere gressus, propterea, &  
 toties id petit: nunc quidem dicens. Deduc  
 me in semitam mādatorum tuorum, quia *Sup. v. 35.*  
 ipsam volui: nunc. Vias tuas Domine de-  
 monstra mihi & semitas tuas edoce me:  
 nunc vero. Dirige me in veritate tua: & *Psal. 24.*  
 hic. Gressus meos dirige. Certè & ipsi sem- *Ibid.*  
 per directione indigemus; & ipse id sine  
 cessatione misericorditer præstat, appre-  
 hendens manum nostram, dirigens, & ope-  
 ra manuum nostrarum super nos. Vnde  
 sanctus Dionysius significantissimè Deum  
 ipsum appellat ἀνάγκη καὶ πῦν χειραγωγίαν, *De diuinis*  
 id est, manuductionem extenta manu per- *nom.*  
 petuò dirigentem.

Et non dominetur mei omnis iniu-  
 stitia.

**H**Ebraismus est, id est, nulla: vt ibi. Cum *Psal. 48.*  
 interierit non sumet omnia, id est, ni-  
 hil. Et quidem de iniustitia, id est, de letali  
 culpa, quæ hominē verè iniustū, facit, ma-  
 nifestum est sanctum hominē, vt quod ma-  
 ximè abhorret, vehementissimè deprecari.  
 Quod tum obtinebit, si gressus eius; id  
 est actiones à Deo secundum eloquiunt  
 suum dirigantur. Sed quoniam qui perfe-  
 ctè diligit, plus aliquid ambit, nec sola

Z. 6. mor-



*Peccata  
venialia  
quãdodo-  
minentur.*

*Eccl. 10.*

*Rom. 7.*

*4. Reg. 24*

*Sant. 7:*

mortifei peccati declinatione contentus est, sed cupit in omnibus Deo placere, eique suis in gressibus conformari, puto iniustitiam vniuersaliter accipi, prout etiam venialia, & quotidiana peccata comprehendit: in quibus quamuis ex fragilitate aliquando contingat impingere, cupit tamen, & orat, ne sibi etiam hæc iniustitia dominetur. Arbitror autem tunc dici hæc animæ dominari, cum vel ex incuria multiplicatur, aut sinuntur in anima residere: vt verè muscæ non circumuolitantes, sed morientes exterminent suauitatē vnguenti: vel, cum non solum ex incogitantia, fragilitate, vel repentina aggressione, sed ex affectu committuntur, vt petitio sit. Quæso te Domine dulcissime, puritatis amator: qui nosti figmentum nostrum, & recordaris quoniam puluis sumus, & luteas domos inhabitamus, ne permittas has quanquam leuiore culpas mihi dominari: sed gratia tua fragilitatem meam muniens, sensusque meos, & corpus possidens, effice, vt nõ meus in me affectus, sed iugiter tuæ pietatis præueniat effectus: vt, si ex corpore mortis huius subnascentes latrunculi infestant, & angunt, nunquam tamen te misericorditer protegente dominantur. Vbi verò anima accuratè ad anteriora se extendens gressus purissimè dirigens in Deum tendit, meritò, vt notat sanctus Ambrosius, audit. Quam pulchri sunt gressus tui



tui in calceamentis filia Principis. Iuncturæ, vel, ut ipse legit, moduli femorum tuorum, quasi monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Quod de animæ gressibus dici manifestum est. Calceamenta verò, in quibus puleri sunt gressus, corpus interpretatur, quod non impedimento sit, sed incessui gratiam addat. Quare cauendum, ne luto corporali inquinetur, ne in voragine vitiorum mergatur, ne tardum fiat à ruina pingui: sed ait. Utamur ergo corpore tanquam calceamento ad interioris operæ virtutis: ad ministerium, non ad præcipitium: ad obsequium, non ad delectationem: ad obediētiam, non ad dissensionem. iuncturæ verò femorum significant, ut arbitror, vertebrae, quibus gressus, quasi harmonice mouentur, ac si dicat. Tam pulchre, tam concinne, tam suauiter gressus componis, ut ipsa femorum motio torquibus, & monilibus comparari valeat: quæ cum ornamenta sint bellatorum, & præmia victoriæ, Symmachus ἰδιῶς χάλια dixit, id est, quæ sint circa collum. Tantus vel Ecclesiæ, vel animæ significatur processus, profectusque, ut ornamentis pretiosissimis, & torquibus triumphantium compareretur. Hæc ex Ambrosio. Et ne putes hæc monilia fortuito, aut oscitanter fabricata fuisse, ait. Quæ fabricata sunt manu artificis, id est, insignis cuiuspiam, & in ea arte peritissimi aurifabri.

Corpore  
quo modo  
utendum.



134 Redime me à calumnijs hominum,  
vt custodiam mandata tua.

**C**AELUMNIA, inquit sanctus Ambrosius, eo grauior est, quia non solum falsa componit, verum etiam, quæ piè gesta sunt, decolorat. & infra. Qui enim opprimitur calumnia, non faciliè potest custodire mandata eius. Tristitiæ necesse est plerumque, aut timori cedat, & affligatur vel metu calumniæ, vel dolore. Sed, cum Veritas dicat. Non est seruus maior Domino suo, nec discipulus super magistrum; si, quæ Dominus, & magister noster passus est recogitemus, iuxta Apostoli monitum dicentis. Recogitare eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes] certe non est, cur tanto opere calumnias, & oppressiones reformidemus. Audi Prophetam hunc nostrum alio Psalmo de magistri, & Domini calumnijs, & oppressionem per prophetiam ita Domino Patri loquentem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Durum: sed addit. Exaltasti dexteram deprimētium eum latificasti omnes inimicos eius. Quid amarius? Pergit. Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello. Quanta in calamitate derelictio quanta?

*Mat. 10.*

*Hebr. 12.*

*Psal. 38.*



ta? Addit. Destruixisti eum ab emundatione, vt ne innocentia quidem eius in tanta sanctitatis exultatione appareret. Præterea. Sedem eius in terra collisisti, quasi de throno regni, quod illi inamissibile est, deiectus videretur. Denique. Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione. Quis ergo audeat fidelis seruus, Domini, & Dei sui tale intuitus exemplum calumnias, & oppressiones à se deprecari? Sed quoniam calumnia conturbat sapientem, *Eccl. 7.* vt scriptum est, & perdit robur cordis illius, id mihi potius videtur petere, non vt liber sit à calumnijs, sed (quod est excellentius redimi) ne huiusmodi inimicorum calumniæ à seruandis Domini mandatis ipsum abducant, aut retrahant, vel odio in ipsos calumniatores, vel timore calumniarum, vel quasi diffidentia quadam diuinae prouidentiae: quæ talia impijs permittat audere in Sanctos. Ergo non tam acerbitates calumniarum, & malorum, quam defectum patientiæ, fiduciæ, & longanimitatis pertimescēs, orat, vt seruata erga inimicos dulcedine mentis, & caritate, ab his incommodis eruatur: ne dum Deo in eiusmodi probationibus placere desiderat, ex sua infirmitate displiceat.



135 Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

**Petitur beneuolentia Dei.** **Iob 29.** **Et lux.** **2. Cor. 4.** **Et Christus saluator.** **Isai. 61.**

**I L L U M I N A**, Hebraeis, fac splendere: quod significat primò beneuolentiam, hilaritatem, ac fauorem ostendere. Quomodo Iob. Lux, inquit, vultus mei non cadebat in terram: ita auidè, & cum desiderio à subditis excipiebatur. Deinde, quia ipsa facies Dei lux est, idem est dicere. Faciem tuam illumina, ac luce tua perfunde me, vt videam iustificationes tuas, hoc enim est doceri, & illuminari. Sed non puto sibi soli, aut hilaritatem vultus Dei, aut diuinæ lucis manifestationem petere; petit & pro toto terrarum orbe, vt Deus, qui dixit in principio de tenebris lucem splendescere, cum nascentem mundum, & quasi infantiaë pannis obuolutum, lumine, coloribus, ac decore depingeret, ipse sublimiori iam luce resplendeat in cordibus nostris ad illuminationem scientiaë claritatis Dei in facie Christi **I E S U**: per quem, & in quo cælestis illius Hierusalem in terris imago quædam, & species representata est. Hanc speciem vidit in spiritu Isaias Vidit, & gauisus est. Vnde & exultabat lætabundus, & laudans. Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me.



me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsum ornatam monilibus suis. Quæ verba suavissimè sic S. Bernardus explicat. Sed melius dicimus, quod Sponsum tunc viderit, cum Verbum in carne vidit, agnoscens duos in carne vna. Dum enim sanctus ille Emmanuel terris intulit magisterium disciplinæ cælestis, dum supernæ illius Hierusalem, quæ est mater nostra, visibilis quædam imago, & species decoris eius per ipsum nobis, & in ipso expressa innotuit, quid nisi in Sponso Sponsam perspeximus, vnum eundemque Dominum gloriæ admirantes, & Sponsum decoratum corona, & Sponsam ornatam monilibus suis? Vnus idemque Dominus, & Sponsus in capite, & Sponsa in corpore. Legendâ quæ subdit. Nec plura addam, ne diuinæ dulcedinis obtundatur sapor. Non itaque mirum si in hanc faciei illuminationem, & splendoris magnitudinem, ac decorem Propheta intuens, sequenti capite id se ardentius postulare fatetur. Propter Sion, inquit, non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor, iustus eius; & Saluator eius, vt lampas accendatur: & videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inelyum tuum. O lux, quæ in tenebris lucet, & tamen tenebræ te non comprehendunt. O, qui in propria venisti,

Ser. 27. 120<sup>a</sup>  
Cant.

Isai. 62<sup>o</sup>.

Ioan. 1.  
Fructus  
ex Christi  
aduentu.

sti,



sti, & tui te non receperunt, indica nobis, quid ex vultus manifestatione gaudij, quid excellentiæ, & decoris in vniuersam Ecclesiam redundarit: vt videamus, quam meritò faciem tuam super se illuminari Psalmographus adeo ardentè efflagitat. Sequitur Isaias. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit: & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea (siue complacentia mea) in ea: & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Vis ingēs  
lacryma-  
rū signifi-  
catur.

Cant. 4.

QVAM pulcher, quam exaggeratus dicendi modus ad explicandam vim lacrymarum ob diuinæ legis transgressionem? vt non veluti guttatim lacrymæ defluerent, sed quasi riuus imperu fluere de Libano. Hebræis vox eadem est apud Ieremiam Thren. c. 3. vbi noster transtulit diuisiones aquarum: & reuera verbum **סִלַּג** significat diuidere, vnde quidam **אֵי** dictus est, quod in diebus eius diuisa fuerit terra. Sunt qui putent riuos diuisiones appellari quasi à fonte diuisos ac di-



ac diuifos ; mihi magis placet diuifiones  
 aquarum ideò vocari, quia cum ingens  
 est copia, præ multitudine in varios diui-  
 ditur riuos. Non igitur ex oculis Prophe-  
 tæ noſtri aquæ guttatim quaſi lacrymę flu-  
 unt, ſed deriuantur vti flumina. Eundem  
 animi ſenſum, & doloris magnitudinem  
 Pſal. 6. ſic explicat. Laboraui in gemitu  
 meo : lauabo per ſingulas noctes lectum  
 meum. Quæ vox [lauabo] multum ſanè  
 ſignificat, tamen Hebraice maiorem vim  
 habet : ſignificat enim propriè, natate fa-  
 ciam. Quaſi tantus fuerit imber lacryma-  
 rum, vt lectulus in eo nataret. Et, quod  
 ſubditur. Lacrymis meis ſtratum meum  
 rigabo, Hebraicè, liquefaciam, id enim ſi-  
 gnificat **למון**. Quibus duabus meta-  
 phoriſ per hyperbolem prolatis ſatis indi-  
 cat, quam copioſas die noctuque lacrymas  
 fuderit. Cauſam autem tatarum lacryma-  
 rum enuntiat, cum dicit. Quia non cu-  
 ſtodierunt legem tuam : quod ſancti Am-  
 broſi. & Auguſtinus de ipſius oculis, & pro-  
 prio peccato intelligunt. Dicuntur enim  
 oculi non cuſtodire legem, quod fuerint  
 inſtrumenta peccati, & fenestræ, per quas  
 mors ingreſſa eſt, cum pulchritudinem  
 mulieris contra Dei legem curioſè, & ple-  
 ni adulteriij conſpexerunt : vnde & adulte-  
 rium, & homicidium conſecutum eſt. Ni-  
 hil ergo nimirū, ſi tam ſordidas maculas,  
 tam ingenti imbre eluere conabatur, quæ  
 ſan-

Oculis  
 peccatum  
 tribuitur.



*Orat. 3:* sanctus Gregorius Nazianzens peccati di-  
*Ep. 200.* luuium appellat : & Isidorus Pelusiota ad  
 Heronem, huiusmodi lacrymas thymia-  
*Or. 5. de* matis instar iucundas, dulcesque Deo af-  
*pæn.* ferit. Et S. Chrysostomus, vt vim lacry-  
 marum ostendat. Multus, inquit, peccati  
 ignis, atque modica extinguit eum lacry-  
 ma. Nam lacryma, fratres, rogam extin-  
 guit peccatorum.

*Dolendū*  
*& de pec-*  
*catis alie-*  
*nis.*

*Serm. de*  
*grad. asc*  
*ad beat.*

*Lacryma-*  
*rum gene-*  
*ra qua-*  
*tuor.*

Alij, vt Theodoretus, & Euthymius  
 (non custodierunt) vniuersaliter accipiunt,  
 vt defleat etiam peccata aliorum, vt quæ  
 & Deum inhonorent, & peccantibus per-  
 niciem ingentem afferant. Nam vt B. Leo,  
 à mundanis lacrymis sublimes hæc di-  
 stinguens, loquitur. Alia ratio est san-cto-  
 rum gemituum, alia beatarum causa lacry-  
 marum. Religiosa tristitia, aut alienū lu-  
 get peccatum, aut proprium. Vtroque igitur  
 modo beatus Dauid abundantissimis  
 lacrymis mentem rigabat. Quomodo sæpe  
 dolet super cœcitate cordis illorum, qui  
 diuinam legem transgrediuntur quos, cum  
 tamen nobilissimi à Deo conditi sint, su-  
 pra conquestus est ab ipso Factore tanquã  
 scoriam reputari.

Sed libet paulisper erecto sursum corde  
 diuinam adorare sapientiam, diuinam de-  
 prædicare clementiam, quæ ingenti sua  
 dulcedine naturalem humorem, quem ex  
 oculis vel nimia cerebri humiditas, vt in  
 pueris, vel dolor exprimit, vt in alijs, ita

sancti-



sanctificat, & attollit, vt prouehat in fluuios paradisi. Fluuus, inquit Scriptura, egrediebatur de loco voluptatis, qui inde diuiditur in quatuor capita. Et hic vnus Dei amor etiam in capita quatuor diuiditur.

*Gen. 2.*

Sunt lacrymæ ex dolore peccatorum: Primum iste est Gehon, qui sonat vallem gratiæ, vel ex dolore diuitiarum. Quantæ diuitiæ in ablutione peccatorum! Ille Aethiopiæ alluit, sed peccatorum. Aethiopes nõ facit albos: at noster hic fluuius de nigris lucidos facit: vt verè anima sic purgata miraculum sui faciat, & ab admirantibus Angelis non sine rubore de se audiat. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?

*Cant. 3. 8.*

Sunt lacrymæ ex zelo gloriæ Dei, quo Iustus angitur, & absimitur, cum videt illum negligi, aut minus diligi; vnde exitus aquarum deducit, quia miseri præuaricatores non custodierunt legem Dei. Hic est Euphrates, qui fœcunditatem, & fructum sonat. Verè magna fœcunditas, quæ peccata omnia, miserias, & mala aliorum in sua lucra, pretiosumque fructum conuertit. Qualis enim fructus, quam pulcher, & quam aspectu delectabilis, & ad vescendum suauis! non vt ille olim in terrestri paradiso malè alliciens parentes nostros, vnde tam multa in nos mala defluerunt; sed verè suauis, ac vitaliter nutriens, dum ex caritate Dei, & proximi aliorum errata ex intimo deflet affectu.

*Secundū, ex zelo gloriæ Dei.*

*Gen. 3.*

Ter-



**Tertium,** Tertius fluuius lacrymæ sunt ex amaritudine periculis huius vitæ inter salices Babylonis. Hic Tygris est, quod nomē vitæ.

Medorum lingua, vnde desumptum est, significat sagittam: quo rapida eius fluminis velocitas designatur. Est autem fluuius hic rapidissimus, tum quia res ipsæ rapidè fluunt; &, quo magis tendunt, vt sint, eo velocius properant, vt non sint.

**In Psal.**  
136.

Nam & flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt, vt ait S. Augustinus: tum quia & nobis hæc ipsa in morem sagittæ percurrenda sunt, quia si paululum cuncteris rapiunt, & trahunt in mare. Et igitur ait S. Leo. Si quæ in hac vita blandiuntur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter.

**Ser. 2. de**  
**Ascens.**

**Quartum.**  
ex deside-  
rio æter-  
næ vitæ.

Quartus fluuius est ex desiderio æternæ vitæ, qui dicitur Phison, id est oris extensio. Extendit enim faciem ad anteriora, & æterna: & suspensis organis lætitiæ, quæ homines detinere solent, Fleuimus, inquit, dum recordaremur Sion. Ibi nascitur aurum optimum, & bdellium, & lapis onychinus quæ omnia pretiosa valde sunt. Quid enim non sublime, ac pretiosum in hoc flumine lacrymarum? De quo dulcissimè suo more sanctus Bernardus: Nunquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succatiuntur occulta ad memoriam gaudij illius, quod est in Hierusalem, quæ sursum est, quæ mater

**Psal.** 136.

**Serm. de**  
**ver. Ap.**  
**Non est**  
**regnum**  
**Dei esca.**  
**etc.**

tur aurum optimum, & bdellium, & lapis onychinus quæ omnia pretiosa valde sunt. Quid enim non sublime, ac pretiosum in hoc flumine lacrymarum? De quo dulcissimè suo more sanctus Bernardus: Nunquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succatiuntur occulta ad memoriam gaudij illius, quod est in Hierusalem, quæ sursum est, quæ mater



IN PSAL. CXVIII. 55

nostra est, & lacrymarum vnda vultus meditantium perfundit? O si duraret? Et alibi. Nam & me miserum heu longè agentem, & de longe salutantem en ipsa recordatio ad lacrymas prouocat, planè iuxta affectionem, & vocem dicentium. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Et mox allatis ex Psalmo verbis. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Quis, inquit, non illic vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatem? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio Paradisus, dulce pabulum verbum, abundantia multa nimis æternitas: ac deinde concludit. Festinemus proinde filij, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suauiore, ad vberiore, & fertiliorem agrum. Festinemus, vt habitemus sine metu, abundemus sine defectu, satiemur sine fastidio. Vide etiam suauissima serm. 82. in fine. Et miramur si fluuius hic, oris scilicet, ad superna extensio ita exundat, & inundat? Videndus est Cassianus de varijs lacrymarum generibus. Sed cuiuscunque tandem generis lacrymæ istæ sint, verissimum est quod sanctus Chrysostomus in Genesi asserit. Sicut faciè, inquit, corporis tui quotidie abluis, ne qua fortè macula faciei inhærens, foeda appareat, sic & animæ curam habe, quo-

*Bern. ser. 33. in Cantic.*

*Psal. 136.*

*Psal. 147.*

*Coll. 9. c. 28.*

*Hom. 21.*



quotidie lacrymis eam abluens calidis. Hac enim aqua maculæ deponuntur, fitque facies admodum luculenta. Et idem Pater lacrymas quascunque pro Deo defluentes, veluti torques, & monilia asserit animæ esse.

¶ Tñade, id est, Iustitia.

*Octonarius XVIII.*

- 137 **I**ustus es Domine: & rectum iudicium tuum.
- 138 Mandasti iustitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.
- 139 Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.
- 140 Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.
- 141 Adolescentulus sum ego, & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.
- 142 Iustitia tua, iustitia in æternum: & lex tua veritas.
- 143 Tribulatio: & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

144 AEquitas



IN PSALM. CXVIII. 553

144 AEquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & vi-  
uam.

137 Iustus es Domine: & rectum iudi-  
cium tuum.

138 Mandasti iustitiam testimonia  
tua: & veritatem tuam nimis.

**S**I de propriorum oculorum peccato do-  
let, quod non custodierunt legem Dei,  
merito, inquit, timui, quia iustus es, &  
rectum iudicium tuum. Gaudeo signifi-  
casse te mihi per Nathan nuntium tuum,  
quod transfuleris peccatum meum: am-  
plector magnam misericordiam tuam, qua  
misertus es mei, delens, vt nubem, peccata *2. Reg. 12.*  
mea, & quasi nebulam iniquitates meas. *Isai. 44.*  
Sed scio misericordiam tibi cum iustitia  
inesse, & ideo efflagitavi tremens. Am-  
puta opprobrium meum, quod suspicatus *Sup. ver. 39.*  
sum: in quo non aliam inueni consola-  
tionem, quam, Quia iudicia tua iucun-  
da. Si de alterius peccatis loquitur, meri-  
tò dolet, quia cum sit iustissimus retribu-  
tor, & mandata eius non solum iusta, &  
vera, sed iustitia, & veritas fiat nimis, ta-  
men prauaricati sunt. Sed & illud secre-  
tiori intellectu mihi videtur quasi occultè  
insinuare, quod & mandata sua iustissima  
Deus promulgat, & mandat ea custodiri *Psal. 118.*

A a nimis,



nimis, & tamen occulto, sed iusto iudicio permittit homines ab ijs discedere, atque in peccata labi: ac si dicat Exitus quidem aquarū deduxerūt oculi mei, quia ipsi non custodierunt legem tuam: exitus etiam, quia alij, quos oportebat te venerari, tibi- que in omnibus obtemperare, non custo- dierunt; sed in ipsa permissione iustitiā, & iudicium admiratus sum. Vnde pauor tenuit me, & tremor: & omnia ossa mea perterrita sunt. Quis enim de sua iustitia, vel recta voluntate præsumat, quando ius- tē omnino manum subtrahis: qua subtra- cta corruat necesse est, qui stabat, & se ali- quid esse præsumebat? Quid enim sum mi- himetipsum sine te, inquit sanctus Angusti- nus, nisi Dux in præceptis? & alibi. Quan- tumlibet rectus mihi videar producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & prauus inuenior. Ne intres in iudicium cum seruo tuo.

*Iob 4.*

*In Psal.  
142.*

139 Tabescere me fecit zelus meus,  
quia obliti sunt verba tua inimici  
mei.

**T**ABESCERE Hebraicè **יִבְהַלֵּץ**  
in Piel, quod vehementiam sonat. Si-  
gnificat autem propriè constrinxit, coar-  
ctauit, ne possem respirare. aut euadere; vt  
significantissimè noster interpretes dixerit,  
tabescere me fecit, græcè **ἰξήθη**. Zelus He-  
braicè



braicè זֵלָה Significat autem zelum, Zeli magna vis. vel zelotipiam, qua inardescit quis, cum sibi rem præripi suspicatur, quam diligit: vel videt indignè tractari; cuiusmodi est illud, Zelus domus tuæ comedit me: id est, absumpsit me: & illud. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Est autem hic amantium Deum zelus pro Deo dilecto: ideo addit. Quia obliti sunt verba tua inimici mei, non quia me persecuti, & iniuste opprimere conati sunt, sed quia obliti sunt verba tua, quæ sunt mihi cariora meipso. Quæ igitur tanto diligit affectu, nunquid non consequens est, ut discrucietur, si negligi, aut indignè tractari videat? Quid enim faciat hæc videns? An zelo Phinees incitatus eos interimat? Nam de iis quidem, quos de medio tollere licebat, fortasse loquebatur, cum dicit. In matutino (id est maturè) interficiebam omnes peccatores terræ. An ex caritate corripiat, & palam arguat? Sed nihil proficiet. Obturauerunt enim aures suas, ne audiant: & sicut aspis: ne exaudiant vocem sapienter incantantis. Nam alioquin vel in conspectu Regum de diuinis testimonijs loquebatur, & non confundebatur. Nam ad Dominum per orationem accurrat; & die, ac nocte eos lugens remedium ab eo efflagitet: ne id quidem prætermisit, sed opposuerunt sibi scutum cordis, ne iacula diuina cor vndique obduratum per-

Psal. 68.

4. Reg. 19.

Num. 20.

Psal. 109.

Psal. 57.

Sup. ver.

46.



uadant. Ergo vias vndique septas inueniēs nihil reliquum habet nisi flere, & tabescere. Disce autem perfectam caritatem, quæ sic dolet super inimicis. Inimicos autem vocat, non quod nocere sibi conarentur, sed quod verba Dei essent obliti. Nam (vt Sanctus Ambrosius ait) nemo grauior hostis omnium, quam qui omnium lædit autorem.

*Cur dicat  
Obliti,  
&c.*

Quod autem ait, obliti, plura mihi videtur innuere. Primum enim sonat modestiam. Non enim accusat illos acerbioribus verbis veluti trāsgressores, & summo imperatori inobedientes: sed quasi extenuat, dicens, obliti sunt. Secundò, latenter indicat rei non ferendam indignitatē, tanquam ipse eam ne nominare quidem audeat. Quomodo res turpis apud Danielem honestioribus vocabulis designatur cum dicitur. Filia Israel timentes loquebantur vobis. Et alibi: Benedixit Deum, & Regem: quasi ne proferre quidem ausus sit verbum maledicendi. Terriò subindicat illorum demētiam, & malitiam, quod ne meminisse quidem dignati sunt rerum illarum, hoc est, diuinarum vocum: in quibus diuina bonitas remedia curandis eorū infirmitatibus constituit. Postremò ostendit præcipuam, & occultam vim verborum Dei: velut fieri non possit, vt quis eorum meminerit, & peccet. Quare id omni studio conatur inimicus, vt verbum de corde

*Dan. 13.  
3. Reg. 21.*



corde tollat, ne fructificet: vt obliuionem inducat, qua fiat, vt tum sese homines turpiter in omnia vitia proiiciant. Quapropter curandum contra diligentissime est, ne vlllo vnquam tempore vel leuis nos obliuio capiat eloquiorum Dei, in quibus & tutela aduersus hostes, & lux in recte discernendis rebus, & diuina protectio, & firmitas, atque constantia nostri propositi prouidentissime sita est.

140 Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.

**V**ox Hebræa **אֵשׁ** significat quidem igne purgatum, & excoctum: quo modo alibi à Propheta nostro dicitur eloquium Domini igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Atque ita quidam intelligunt hunc locum, nihil addentes aliud. Sed mihi non quamlibet purgationem videtur significare, sed eam, quæ per vstionem, & accensionem in conflatorio fiat. Vnde de quibusdam à vitis non repurgatis Scriptura loquitur. Frustra conflauit conflator: maliuæ enim eorum non sunt consumptæ. & Malachias, Purgabit eos: (id est filios Leui) quasi aurum, & quasi argentum. Præmiserat autem. Ipse enim quasi ignis conflans. Ex quo fit, vt, quod sic purgatur, purgationem

*Psal. 11.*

Verbum  
Dei purif-  
icatum.

*Ierem. 8.*

*Malac. 3.*

Aa 3 simul,



- Isai. 6.* simul, & ignitionem acquirat. Et in *Isaia*, Calculus ignitus, quo Prophetæ labia purgata sunt, dicitur carbo: & merito sanctus Ambrosius hanc secundam partem prosequens, & alludens ad illud ex Septuaginta: Describe eam, id est, Sapientiam, *Prov. 22.* saper latitudinem cordis (sic enim illi legunt, ubi nos habemus, Ecce descripsi eam Et videns tibi tripliciter) dicat. Tripliciter ergo demundat, scribe tibi ignitum alloquium Dei, vel accendit, quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat. Et verè ita est, & ita experimur. Accipiunt enim verba Dei ab ipso Deo igne ignitionem: in cuius dextera, ut Scriptura ait, ignea lex, nō tam quod *Deut. 33.* tempore Moysi in igne, tonitrui, & fulminibus data sit, quam quod ignis proprietates representet. Quare sanctus Ambrosius hoc loco pulchrè de hoc igne philosophatur. Vrit enim sermo diuinus, inquit, ut corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, ut perdat: hic ignis habitare Christum per fidem facit, hic ignis extinguere materialium seu a flammaram consuevit incendia. Et, quoniam coccus pro igne significando in veste Sacerdotis ponitur, sic interpretatur diuinam Sponsæ laudem, cui dicitur, Sicut vitta: vel, ut ipse legit, resticula coccinea labia tua; ut resticula sit ad ligandos animos persuasionis vinculo, coccinea & ignea ad incendendos.
- c. 13.* Sed placet B. Dionysium afferre in medium,



dium, qui de cælesti hierarchia triginta sex  
 ignis proprietates enumerat: è quibus et si  
 plurimæ ad ignitum eloquium Dei com-  
 modissimè transferri possent, ego tamen,  
 que proposito nostro magis congruerent,  
 paucas elegi. Primum, inquit, nisi admota  
 materia, in qua luceat, non apparet: ita  
 verbum Dei, cum ignis in se semper luci-  
 dissimus sit, pro singulari tamen subtili-  
 tate non cernitur, nisi in anima seruantis.  
 Quomodo enim resplendeat nisi in bene  
 composita anima reluceat? & in moribus  
 cælestis conuersationis appareat, vt videant  
 homines, & glorificent Patrem, qui in  
 cælis est, tanti ignis autorem? Secundo,  
 ea, in quibus insederit, in suum traducit  
 officium, quod scilicet mentes accendat,  
 easque lucidas, atque ardentes efficiat.  
 Tertio, tradit sui consortium appropin-  
 quantibus: longè enim positus non tra-  
 dit: sed videlicet tota elongatio à nobis  
 proneuit, ita vt simus inexcusabiles. Nam  
 ipse per se ignis & propinquus est, & nihil  
 ipse perdens, nec mutuati luminis detri-  
 menta vllò modo sentiens, participationem  
 sui liberalissimè communit. Quarto, su-  
 periora semper petit, nec ad inferiora pe-  
 tenda vlla vi adigi potest: tu adde, nisi ad  
 pabulum, vt patet in candela recens extin-  
 cta: ex qua fumus, si in ardens lumen in-  
 ciderit, inde flamma ipsum fumi secuta  
 pabulum, extinctam candelam rursus ac-  
 cendit.

Ignispro-  
 prietates  
 Legi diui-  
 næ acco-  
 modan-  
 tur.

Matt. 5.



cendit: ita ignis, qui sua natura superiora  
semper petit, demittit se, vt inferiora eri-  
gat: quod læti in eloquio diuino experi-  
mur, cum primus ipse ignis Deus altissi-  
ma, & sublimissima quæque suorum elo-  
quiorum ad captum, humilitatemque no-  
stram inclinat, vt nos ad superiora proue-  
hat. Quintò, incrementa sibi ipsi suppedi-  
tat, & in suscipiente suæ Maiestatis poten-  
tiam indicat. Videre licet hominum in-  
numeram multitudinem, qui tanquam  
iumenta computruerant; & nihil minus,  
quam de cælestibus cogitare nouerant, iam  
diuini huius ignis participatione in cæle-  
stes esse mutatos. vt à illis ignis per Apo-  
stolos exportatus incrementa sibi totius  
orbis apposuerit. Confiteantur tibi Domi-  
ne omnia opera tua, & Sancti tui benedi-  
cant tibi: qui ideo tibi hominum corda su-  
bdis, vt incensa sustollas. Tandem ignis, si  
negligatur, non esse videtur: attritu autem  
veluti irritatione quadam continuò lucen-  
tem excitatur in flammam. Hoc in Scri-  
pturis quotidiana experimenta monstrat.  
Nisi confricentur, & assidua meditatione,  
iugique ruminacione, ac vehemēti deside-  
rio atterantur, non apparet ignis. Ecce iste  
ipse psalmus, quem præ manibus habe-  
mus, omnium vbique linguis in Ecclesia  
pronuntiatur, manibus teritur, voce can-  
tatur, sed vbi flamma resonant in auribus, &  
linguis, mandata, testimonia, lux, iustifi-  
cationes,

*Psal. 144.*

*Meditan-  
da Lex vt  
incendat.*



cationes, lex, & huiusmodi innumera, quibus toto hoc Psalmo varijs nominibus diuina eloquia nominantur, sed ignis non accenditur: & tamen testantur discipuli de colloquutione Domini. Nonne cor nostrum Luc. 24. ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Ventilatio ergo, attritioque desideratur.

Tale cum sit eloquium Dei, meritò addit Propheta: Et seruus tuus dilexit illud. Quis enim flammam lucentem, ardētem, purgantem, erigentem, pascentem, & viuificantem poterit non amare? Quomodo ex igne non existat ardor? O Domine, Domine, ignis semper ardens, qui dedisti nobis sacrum hunc ignem verborum tuorum, fac, vt exerat iugiter in nobis diuinas huiusmodi ignis proprietates. Nam si frigidus sumus, duri, & pondere grauissimi, nouum non est, vt virtutes, & facultates suas ipse ignis agens introducat. Quid ferro durius, & frigidius, & pondere grauius? tamen si ignitionem concipiat & candens fiat, non solum ipsum in se & mollescit, & ardet, sed etiam alia potest incendere.

141 Adolescentulus sum ego, & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.

**V**Ox Hebræa **עַיִן** significat quidem iuuenem; sed magis propriè qui minor



fit, seu minimus æstimatione potius, quam ætate. Dicit autem Psalmographus paruum, vel minimum se aut prudentia, aut experientia, aut opinione esse: primum quidem apud se: talem enim se reputat: tum apud Deum, qui corda intuetur, & spiritus ponderat: tum apud homines, quorum opinione, & æstimatione vilem se haberi fatetur: vnde & adiungit, contemptus, vel contemptibilis: & tamen ita iuuenis, vel contemptus iustificationes Dei non est oblitus. Owendit difficultatem mandata seruandi, dum apud alios contemptibilis æstimatur. Vix enim nisi valde humilis inter contemptum, & ignominiam mandata Dei custodit: vnde pro magno malo sibi Propheta noster alibi imprecatur, dicens. Persequatur inimicus animam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriã meam in puluerem deducat. Vbi satis indicat, quam difficile homo ferat gloriã suam in puluerem deduci. Sed non solum difficultatem inter hæc mala seruandi legem ostendit, verum indicat modum adolescentiam, & contemptum non solum temperandi, sed & in gloriã commutandi. Exquisita enim diligentia in præceptis Dei retinendis, & custodiendis, honorabilem hominem facit. Ac si dicat, paruus quidem sum, & contemptibilis, si meam, sapientiã, viresque meas considerem: sed, si præcepta

tua

Non nisi  
valde hu-  
milis be-  
nè fert cõ-  
temptum.

*Psal. 7*

Virtus cõ-  
temptum  
tollit.



rita custodiam, honorabilis fiam. Nec enim  
 frustra dicit Scriptura. Dilectio Dei hono- *Eccl. 1.*  
 rabilis Sapientia: quia autem apparue-  
 rit in visu, diligunt eam in visione, & in  
 agnitione magnalium suorum. Quid nobi-  
 lis, & optanda commutatio? ut ex dile-  
 ctione Dei, quæ honorabilis sapientia est,  
 & in agnitione magnalium illius fiat vir  
 prudens, & ipse ex contemptibili honora-  
 bilis? Cura enim disciplina, ut alibi ha- *Sap. 6.*  
 betur, dilectio est, & dilectio custodia le-  
 gum illius. Denique de huiusmodi tam  
 magnificè in alio Psalmo loquitur, ut dice- *psal. 91.*  
 re non vereatur. Honorabile nomen eo-  
 rum coram illo, id est, coram Deo. Quo *Iob 32.*  
 quid magnificentius dici potuit? Certè  
 Eliu apud Iob, iunior, inquit, sum tempo-  
 re, vos autem antiquiores, idcirco demisso  
 capite veritus sum vobis indicare meam  
 sententiam: sperabam enim, quod ætas pro-  
 lixior loqueretur, & annorum multitudo  
 doceret sapiētiam; sed, ut video, spiritus est  
 in hominibus, & inspiratio omnipotentis  
 dat intelligentiā. Vides in Spiritu Domi-  
 ni, & intelligentia diuinitus accepta iuue-  
 nem, & contēpibilem, si mandata Dei ex-  
 quirat, senioribus præferri: nec sine causa à  
 Sapiente dictum esse. Si non peccauerimus *Sap. 13.*  
 scimus, quoniam apud te sumus computa-  
 ti: id est, in magno pretio habiti. Noscere  
 enim te consummata iustitia est: & scire iusti-  
 tiam, & virtutem tuam radix est immortea-  
 litatis.



44 MEDITATIONES

litatis. Perpende locum diligentius. Ceterum sanctus Ambrosius non ad vnam aliquam animam, sed ad Ecclesiam refert vniuersam de gentibus congregatam. Et Populus, inquit, nationum ille in prima lectione despectus, rudis adhuc fide, & studio primæuæ deuotionis adolescens, vel certè renouatus Aquilæ iuuentute per baptismatis Sacramenta sic loquitur. Iuuenis ego sum, & despectus: iustificationes tuas non sum oblitus. Ille ego despectus ante, iam preferor, iam autè ponor electis, id est senioribus, & Synagogæ ante dilectæ. Ille autè despectus populus peccatorum, habeo caelestium Sacramentorum veneranda confortia. Non possum præ suauitate, & dulcedine quam continent sancti huius Patris verba refecare. Sequuntur ergo. Iam mensæ caelestis honore suscipior. Epulis meis non pluuia vndatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina querenda, non fontes: Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Caro Dei cibus mihi, & Dei sanguis est potus. Non iam ad satietatem mihi annuos expecto prouentus: Christus mihi quotidie ministratur. Non verebor ne mihi cæli intemperies, aut sterilitas ruris immineat, si pij cultus diligentia perseuerat. Non iam coturnicum pluuias mihi opto descendere, quas ante mirabar; non manna, quod ante cibus omnibus præferebam: quia, qui manna

Diuinissimi Sacramenti præstantia.

Exod. 16.



māna manducauerunt Patres, esurierunt. Meus cibus est, quem si quis manducauerit, non esuriet. Meus cibus est, qui non corpus impingat, sed confirmat cor hominis. Et post pauca. In te ipso est, vt accipias hunc panem. Accede ad hunc panem, & accipies eum. De hoc pane dictum est, Omnes, qui elongant se abs te, peribunt. *Psal. 72.* Si elongaueris ab eo peribis. Hic est panis vitæ: qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo enim morietur, cui cibus vita est? quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est. Accedite ad eum, & potate, quia fons est. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est. Accedite ad eum, & liberamini, quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, & absoluiimini, quia remissio peccatorum est. Qais sit iste quæritis? Audite ipsum dicentem. Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. Legenda omnia quæ ibi mellifluè prosequitur. Imò illud addit. Hæc generalia, sed etiam specialis singulis Christianis suppetit prærogatiua dicendi. Iuuenis ego sum, & despectus, si humilis corde, si mitis, atque mansuetus, & cum dixisset de periculis iuuentutis, & quam difficilis sit, dum vires solidæ sunt, & sanguis æstuat, humilitas: concludit, Grandis igitur morum est assuefacienda maturitas,



368 MEDIT IN PSAL. CXVIII.  
quæ vincat naturam.

141 Iustitia tua Iustitia in æternum.

**I**USTITIA, quam tuis mandatis sanxi-  
sti, quæ vera iustitia est, fixa, perpetua, &  
inuariabilis est. Et quod ipse statuisti tam  
sanctum, rectumque est, vt mutari nõ pos-  
sit. Nec ad tempus præcepisti, vt seruemus,  
sed in finem vsque, perpetuò: Iustitia etiã,  
quam nobis exhibes sanctificans, & recti-  
ficans ex parte tua in æternum est. Sine  
pœnitentia enim sunt dona tua. At, qui  
deficiunt, ipsi relinquunt. Caue laqueos,  
caue quæ eam intercidere possunt. Nam  
qui mundum diligunt, & ea, quæ in mun-  
do sunt, quomodo iustitiam seruant, & cu-  
stodiunt? Vide pericula.

Et lex tua veritas.

**I**D est vera, quia mentiri non potest. Se-  
cundò ex Ambrosio vera, id est, spiritua-  
lis, quæ viuificat: nam litera occidit.

Veritas item, vt opponitur vmbre, &  
typo futurorum. Quia antiqua vmbra  
erant, & exemplar cælestium. Hanc igitur  
veram optabat Dauid, hanc amplecteba-  
tur, vtpotè, cui incerta, & occulta sapien-  
tia sue manifestaret Deus.

Hacte-



**H**actenus adnotarat R. P. Generalis  
Meditationes suas, cum placuit Deo  
transferre eum (vti speramus) ad contem-  
plationem facie ad faciem. Qui, cum gra-  
uius agrotare cœpit, & in ore, & scilicet  
multo magis in corde habebat versiculum,  
qui proximè sequitur. Tribulatio, & an-  
gustia inuenerunt me: mandata tua me-  
ditatio mea est: tanquam diuinitus esset  
eo perductus, vt, cui vita tota meditatio  
mandatorum Dei fuerat, eum vltima  
etiam exilij huius tribulatio, & ipsa mors  
in eadem meditatione inueniret.



INDEX